Schiller

DE

REBUS THURIORUM.

SCRIPSIT

LUDOVICUS SCHILLER, PH. DR.,
BAVARUS,
SEMINARII REGII PHILOLOGICI ET SOCIETATIS PHILOLOGICAE NUPER SODALIS.

COMMENTATIO IN CERTAMINE LITERARIO CIVIUM ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE DIE IV. JUNII, ANNI MDCCCXXXVIII EX SENTENTIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS PRAEMIO REGIO ORNATA.

1837

Εἰδέναι ἄνθρωπον ἐόντα, ὅκως χρή, τὸ βέβαιον, δοκέω οὐδαμῶς.

HERODOTUS.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

Zum Andenken an den Sommer 1839.

PRAECEPTORIBUS OPTUMIS

IOANNI CHRISTOPHORO
HELDIO

ET

CAROLO LUDOVICO
ROTHIO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

OBTULIT

PIETAS DISCIPULI.

L. S.

Amplissimi Philosophorum Ordinis haec fuerat quaestio:

Thuriorum civitatis historia, imprimis antiquior, cum ad cognoscendum rerum publicarum in Graecia statum non exiguum momentum habeat, et cum ipsa literarum et artium a Graecis cultarum historia pluribus modis coniuncta sit: prima huius civitatis tempora, inde a colonia deducta usque ad exitum belli Peloponnesiaci, diligenter et curiose examinanda et enarranda proponuntur.

Studiorum historicorum, imprimis ad Graecas res spectantium, magno me amore imbuerant **CLARISSIMI CAROLI ODOFREDI MUELLERI** scholae de antiquitatibus Graecorum publicis paulo antea institutae. Itaque non potui non valde delectari quaestione illa proposita, quae, etiamsi ingenio meo vehementer diffiderem, tamen ita me tenuit, ut qualiscunque in arenam descenderem. De commentatione mea Amplissimus Philosophorum Ordo hoc tulit judicium:

Commentationis Herodotea sententia inscriptae: Εἰδέναι ἄνθρωπον ἐόντα, ὅκως χρὴ, τὸ βέβαιον, δοκέω οὐδαμῶς, auctor longius excurrit, quam operis ratio postulabat. Nam cum quaestio proposita juberet, ut Thuriorum civitatis historia inde a colonia condita usque ad exitum belli Peloponnesiaci deduceretur, quae ob eam ipsam causam tam arctis finibus circumscripta est, ne opera praestanda nimium tempus absumeret, neve opus condendum in nimiam molem excresceret: commentationis scriptor antiquam Sybarin intra ambitum operis sui comprehendit: quod Italicarum rerum caput per se amplissimum cum Thuriorum annalibus

non ita conjunctum est, ut bene seperari nequeat. Caeterum in iis, quae ad argumentum tractandum pertinent, magnam praestitit diligentiam et laudabilem ostendit eruditionem, ac de multis rebus, dum paulo liberius per campos historicarum quaestionum vagatur, sano judicio nec sine acumine disputavit: quanquam non desunt, quae sublata, aut diligentius limata velis. Nam in universum rerum congestarum copia ita laborasse auctorem apparet, ut operi repetitis curis perpoliendo parum vacare posset, atque cum in universi operis compositione tum in genere orationis negligentiam quandam proderet. Sed supervacanea si resecta, impolita si limata erunt, non deerit libello sua laus, nec meritum aliquod in Thuriorum rebus explanandis detrahi poterit. . . . .

His utriusque commentationis virtutibus et vitiis perpensis et inter se comparatis, Ordo philosophorum cum ambigeret, praemiumne divideret an duplex conferret: insignis ei succurrit benignitas et liberalitas Summorum virorum, quibus cura hujus Academiae competit, qua nobis jam concessum est, ut duplici praemio distributo neuter juvenis sua laude exoptataque adorea fraudetur.

Quem nunc retractatum publico examini submitto libellum, in eum etiam atque etiam peto ut pari atque Ordo Amplissimus humanitate utantur si qui ejus exsistant censores, teneantque benevolo animo, non posse non in opella viribus admodum juvenilibus suscepta multa desiderari.

Dabam Gottingae, Nonis Octobr. MDCCCXXXVIII.

CONSPECTUS.

PROOEMIUM.

In sinum Tarentinum, qua Lucaniae oram alluit, non procul a finibus Bruttiorum (Strab. VI, 392.) influit CRATHIS fluvius, paulo ante SYBARI amniculo recepto [1]). Uterque nomen accepit ab Achaeis Peloponnesi ad eas oras appulsis, qui quum id agerent, ut in hac regione sedes suas ponerent, in memoriam patriorum fluminum illa nomina traduxerunt. Namque ex locis circa Aegas et Buram sitis profecti erant: in illa Achaiae parte et Crathis fluvius et Sybaris fons memorantur. Strab. VIII, 592. Herod. I, 145. Paus. VIII, 15. p. 632. Kuhn. Cf. O. Mueller. hist. Dorienss. II, 428. Crathim Italiae per totum illum tractum fere unicum fluvium dixeris: praeter hunc multi rivi minoris nominis hanc regionem percurrunt, in iis Sybaris (Συβαρῖτις κράνα Theocr. V, 146. cf. 126.). Crathis autem, limpidas aquas suas rapido cursu volvens, hodieque nomen suum fere integrum *Crati* servavit: de Sybari ei contermino video dissentire Cravenium, qui hunc et ipsum hodie eodem nomine appellari memorat (Tour through Naples p. 212.: quocum consentit Riedesel. p. 194. itinerarii sui, cujus versione tantum francogallica mihi uti licuit) et Swinburnium, quo auctore nunc *Coscile* audit (Travels in the two Sicilies I, 291.). Fortasse altera cursus sui parte altero nomine gaudet [2]).

Ejus autem regionis, de qua hic agimus, maximam fecunditatem fuisse, vel qualis nunc habetur felicissima ejus conditio comprobat.

1) Antiquis temporibus Sybarim ferunt non a Crathi receptum esse, sed diversa illis ostia fuisse: v. ULLRICH Rerum Sybaritanarum capita selecta p. 10., quam dissertationem sero mihi innotuisse doleo.

2) De singulari quadam et fabulosa utriusque fluvii natura, quam passim laudant veteres, videas, si tanti est, locos congestos e. g. a Beckmanno ad Pseudo-Aristot. de mir. ausc. c. 183. Cf. Craven. l. l. p. 216. Swinburn. I, p. 298. De LUSIA, illis paulo inferiore (hodie *Lucino* s. *Lucido*, v. ROMANELLI Topografia del regno di Napoli I, 229.) Aelianus Nat. An. X, 38. Similia illis laudat O. Muellerus Orch. p. 75.

Speciosissimam nobis imaginem praebent, qui nostro aevo hos tractus peragrarunt, Riedeselius p. 192 sqq., Swinburnius I. p. 285 sqq., Cravenius p. 212 sqq. Mirum enim quantum delectant describendis arvis illis laetissimis, caelo perpetua fere serenitate conspicuo, frumentis, vitibus, pomis summe variis, oleis, citris, amygdalis effuse luxuriosis, gregibus equorum, boum, omne genus pecudum infinito numero circumvagantibus. Terra fere sponte omnia suppeditat, inprimis manna, cujus quotannis messis est largissima: agri etiam quater per annum arantur. Nec desunt veterum de eadem felicitate testimonia. De frumento Varro de re rust. I, 44.: *In Sybaritano dicunt etiam cum centesima redire solitum.* De soli ubertate etiam Diodorus conferendus XI, 90. XII, 9-11. Atque inprimis taurus in numis conspicuus eam confirmat: quamquam sunt, qui Crathim illa imagine repraesentari malint. V. Swinb. p. 294. Praeterea agriculturam spectant frumenti grana in numis nonnullis expressa (Rasche Lex. num. T. V. P. I. p. 1155, nr. 16. p. 1159, nr. 31.) atque Cereris cultus, quem et ipsum ex numis cognovimus (Mionnet Descr. des médailles antiques t. I, p. 171, nr. 695.). Deinde vinum in agro Thurino provenisse maxime nobilitatum, docent Plinius N. H. XIV, 3, 6. Strabo VI, 404. Vini copiam etiam ex Athenaeo colligas XII, 519, d.: *Plurimis cellae vinariae prope mare fuere, in quas canalibus vinum ex agris perductum partim vendebant mercatoribus externis, partim navigiis in urbem deportabant.* Eodem retulerim thyrsos in numis ap. Raschium l. l. p. 1156, nr. 27. 37. p. 1158, nr. 8. p. 1160, nr. 57. 58. p. 1161, nr. 68. Liberi tamen cultus nunquam Thuriis ita floruit, ut e. g. Tarenti, de quo conf. Plato legg. I, 637, b. — Porro olivae in agro Sybaritano provectae jam apud antiquos famam habebant non exiguam. Athen. I, 30, b. II, 67, b. Cf. Mionnet Suppl. t. I, p. 322, nr. 852.

De tota illa regione, in qua Sybaris sita erat, adi Theocriti locum elegantissimum Id. V. Fertilitatis aquarum copia maxime fuit in causis. Craven. p. 216. Ac terrae respondit mare propinquum, quod pisces pretiosissimos accolis abunde praebuit, itemque purpuras marinas. A Thuriis etiam piscis quidam nomen accepit: Ath. VI, 274, c. VII, 329, a. (Cff. tamen Schweigh. ad priorem locum et Salmas. ad Solin. p. 1317, c.) Ath. XII, 521, d.: *A tributis immunes qui anguillas venderent ac piscarentur, iidem esse voluerunt. Eodem pacto iis, qui marinas purpuras venabantur, et captas afferebant — immunitatem concesserunt.* Pisces saepissime in numis Thuriorum: in uno cancer, ap. Mionnet. t. I, p. 270, nr. 687. Cf. Riedesel. p. 193. *Piscosos lapidosi Crathidis amnes* memorat Ovidius Fast. III, 581.

Fuerunt tamen nonnulla, quae incolis eam regionem minus salubrem redderent. Primum ipsius urbis situs, quae quum mare versus regio propatula est, per aestatem mane ac vesperi immodicum frigus sensit propter vicinos a septentrione Calabriae montes altissimos, quos Riedeselius (p. 195.) Majo mense etiam nivibus vidit obtectos, meridie vero aestum intolerabilem, quae variatio non potuit non valetudini officere. *Inde manavit*, pergit Timaeus ap. Ath. XII, 520, a, *quod vulgo dictitant, qui ante diem fatalem mori nolit apud Sybaritas, ei nec orientem solem aspiciendum, nec occidentem.* Cf. VI, 273, c. Itaque videmus a Sybaritis inventa alia, quibus aestum, alia, quibus frigus temperarent. Ath. XII, 519, c. e. Alterum, quod salubritatem eorum locorum hodie quoque infringit, est aquarum eluvies, qua pascua quidem redduntur laetissima, sed nisi maxima accolarum industria subveniat, stagnant agri morbique perniciosi oriuntur. Canales, quibus Sybaritas ex agris vinum ad mare et in urbem comportare solitos esse vidimus, fortasse id quoque spectabant, ut aquarum eluvies iis deduceretur.

Ea igitur quum terra esset, SYBARIM urbem inter fluvios Crathim et Sybarim Achaei exstruxerunt. Plin. N. H. III, 11. Strabo VI, 404. Diod. Sic. XI, 90. XII, 9. Eust. ad Dion. Perieg. 373. Ipsum urbis nomen declarat, primum ad Sybarim fluvium eam fuisse aedificatam (a quo nomen accepit secundum Diod. XII, 9.); mox, quum ad quinquaginta stadia ambitus ejus cresceret, ad Crathim usque pertinuit. Haud procul ab illa THURII exstructi sunt (Strabo l. c. Diod. XII, 10.), prope fontem Thuriam, urbs et ipsa a mari aliquantum remota. Sed de situ utriusque urbis minime convenit inter viros doctos. Castrum Terra nuova (quod plerique rejiciunt propter mare majori intervallo remotum), vel vicus Buffalora, vel torro Bordogneto, ubi ruinae nonnullae conspiciuntur, *Sibari rovinata* dictae, alia aliis videbantur Thuriorum locum tenere: nostri judicii, qui locorum aspectu careamus, non est, eam controversiam transigere. Conff. Ughelli Italia sacra t. X, p. 172. Cluverus Ital. ant. p. 1269. Gail. ind. ad Scylac. vv. Sybaris et Thuria. Romanelli I, 235. Sybarim urbem quum Crathis aquae a Crotoniatis immissae ad ultimum usque lapidem deleverint, hujus urbis situs ex reliquiis certe cognosci nequit. In eo angulo, quo Crathis et Sybaris confluentes peninsulam faciunt, Riedeselius et Swinburnius fragmenta aliquot sepulcrorum et aquaeductus detexerant (cf. etiam Martinieri Lex. geogr. et hist. t. XI, p. 1749. vers. Heins.), quas Thuriorum reliquias esse censet Craven. l. c. p. 217. Swinburnio judice rudera latericia Romanos arguunt opifices.

In Thuriis aedificandis coloni maxime videntur HIPPODAMI Milesii opera usi esse, qui Piraeum absolverat aedificiis instruendum ac fortasse a Pericle ad eum finem colonis additus erat. Phot. et Hesych. s. v. Ἱπποδάμου νέμησις. Harpocrat. s. v. Ἱπποδάμεια. Aristot. Pol. II, 5. ibique Schneid. Schol. Aristoph. Equ. 327. Hippodamus inprimis auctor fuit Graecis urbium ad normam exstruendarum, antiquae vicorum structurae angulosae genere relicto. Thurios enim refert Diodorus XII, 10. secundum longitudinem in quatuor vicos distributos esse, quibus nomina indidere Heracleae, Aphrodisiadi, Olympiadi, Dionysiadi: secundum latitudinem in tres plateas, quas appellavere Heroam, Thuriam, Thurinam: quos deinde muro circumdato pulcris aedibus repleverunt. O. Muell. Dorr. II, 255. *Handb. d. Arch.* §. 111. Wachsmuth. *hellen. Alterth.* II, 2, p. 40. 361. Hanc sententiam nuper admodum impugnavit LEO v. KLENZE in *Aphorist. Bemerkungen, gesammelt auf seiner Reise nach Griechenland* p. 410 sqq.: neque tamen viri docti dubitationes me permovere potuerunt, ut a Clar. Muellero discederem.

Mare vicinum importuosum fuisse ac procellis obnoxium, monent Timaeus ap. Ath. XII, 519, f. et Polyb. X, 1. Thuriorum navale Procopius bell. Goth. III, 28. Rusciam appellat. Ab hoc castellum Ruscianum (s. Roscianum, v. Cluver. Ital. ant. p. 1270.), a Romanis exstructum, quo loco nunc Rossano oppidum est, LX fere stadia aberat [3]).

Thurios proprium ejus urbis nomen fuisse, ex numis apparet, qui constanter illud exhibent, exceptis duobus, in quibus ΘΟΥΡΙΑ vel ΘΟΥRΙΑ legitur, ap. Mionnet. t. I, p. 170, nr. 695. Suppl. t. I. p. 324, nr. 867.: in quorum posteriore litera R seriorem aetatem arguit. Praeter formam *Thurios* in libris veterum inveniuntur *Thuria* et *Thurium* [4]), neque reperire potui, aliam aetatem alia earum uti, sed per totam antiquitatem promiscue usurpantur. Ne singuli quidem scriptores unam earum praecipue adoptant; e. g. apud Diodorum tres deinceps illae formae occurrunt. Atque facile evenire potuit, ut permiscerentur, siquidem Thuria Messeniae et Thurium Laconiae et Acarnaniae exsta-

3) Mazocchii hallucinationes, cui Ruscia ab hebraica voce ראש, i. e. ἄκρα, promontorium, descendere videtur, laudasse sat est.

4) *Thuriae* vero nunquam sunt dictae: nam quod Livius X, 2. tradit, Thurias in Sallentinis a Cleonymo captas (cf. Romanell. II. p. 22.), hoc ad alteram similis nominis urbem referendum est. Cujus memoria nescio an servata sit in nomine Turris urbis, quam episcoporum medio aevo sedem ex actis S. Vitalis abbatis memorat Ughell. Ital. sacra l. l. In tabula Peuting. nostri Thurii Turis audiunt, apud geographum Ravennatem Turris.

rent [5]). Nomen gentile inde derivatur Thurii vel Thurini: Thuriat ... legitur in inscriptione ap. Gruterum p. CXCIX, ubi VV. DD. Thuriates restituendum esse censuerunt: videtur tamen ibi potius Thuriatae scriptum fuisse a Thuria derivatum [6]). Theophrastus ap. Stobaeum serm. 44, p. 201. Gaisf. οἱ Θουριακοί. Ad quem locum Heynius Opuscc. II, p. 152.: *puto vitiose pro* Θούριοι. Et sane duobus sequentibus locis Theophrastus hac forma utitur. Tamen formam Θουριακοί agnoscit Stephanus Byz. s. v. Θούριοι, eaque confirmari videtur loco Hesychii s. v. Ἱπποδάμου νέμησις, quo sub monstrosa voce σατυρικοὺς latere Θουριακοὺς conjecit Valesius ad Harpocrat. s. v. Ἱπποδάμεια: nisi forte malis Συβαριτικούς. Fontem, a quo Thurii nomen acceperunt, omnes appellant Thuriam [7]), excepto uno Scholiasta ad Theocr. V. in., qui de fluvio Thurio loquitur, quo vix nomine dignus erat.

Quamquam vero a fonte illo urbi nomen Thuriorum venerat, tamen videntur id ipsi Thurini quasi quodam lusu a θοῦρος duxisse; cornupetam enim taurum numis suis praeferunt (quod tamen non statim ab initio urbis factum est. Cf. Mionnet. t. I, p. 170, nr. 665. Eckhel. Doctr. Num. Vet. I, 1, p. 161.), quem Sybaritae stantem et respicientem [8]) vel ad dexteram progredientem expresserunt (θούριος = ὁρμητικός. Tzetz. ad Lycophr. 153.). De numis Sybaritarum v. Winckelm. *Gesch. d. Kunst* t. III., in *sämmtl. Werke* t. V. p. 202 sq. cf. t. VI, p. 18.

Loco urbis mutato non statim nomen et ipsum mutatum est: id quod innuit Pallas laureata in numis, quibus inscriptum ΣΥΒΑ vel ΣΥΒΑΡΙ. Mionnet. t. I, p. 168, nr. 654. Suppl. t. I, p. 320, nr. 832. Neque tamen temporis tantum descenderim, quantum jubet Eckhel. D. N. I, 1. p. 161 sqq. Quod idem V. D. proponit, Sybaritarum factionem numis feriendis ΣΥ incudisse, adscriptitios colonos

---

5) Neque probaverim, quod Poppo habet Thucyd. P. I. T. II. p. 549.: *Ager Thuriorum dicitur ἡ Θουρία Thuc.* VI, 61. *cf.* 104. *Alibi idem ager in libris scriptis ἡ Θουριὰς γῆ, in exemplaribus vulgaribus autem male Θουριᾶτις γῆ vocatur* VII, 35. Thuria multis locis legitur, quibus nisi de urbe cogitari nequit.

6) Ut Θουριάται Messeniae Paus. IV, 31. p. 355. Kuhn. et in numis. Steph. Byz. s. v. Θούριοι· καὶ τὸ ἐθνικὸν Θουριάται. — τινὲς δὲ Θουνίαν καὶ Θουνιάτης.

7) Fontis nomen repetendum est a radice θορεῖν, ebullire. Ignarra de phratriis p. 69. apte comparat Bollo Neapolitanum.

8) Singularis est sententia Swinburnii (p. 294.), moles ingenti opera Crathis fluctibus oppositas tauri, quippe quod sit Crathis signum, capite retro verso exprimi.

ΘΟΥΡΙΩΝ, ferri nullo modo potest. — Agro longum tempus post Thurios conditos nomen Sybaritani servatum esse, suadet Theocr. V, 73.

In loco Strabonis VI, 390. ὑπὲρ δὲ τῶν Θουρίων καὶ ἡ Ταυριανὴ χώρα λεγομένη ἵδρυται, Cluverus Ital. ant. p. 1271. legendum esse conjecerat Θουριανή. Perverse: cf. Casaub. ad h. l. et Romanell. l. l. p. 103.

Copiae s. Copia, quod Romani Thuriis post coloniam A. U. 560. eo deductam impegere nomen (Strab. VI, 404. Steph. s. v. Θούριοι; cf. Schol. Aristoph. Nub. 331.: ὕστερον δὲ Ἄπιαι), et quod in numis ab illo inde tempore conspicitur, nunquam in usum venit vulgarem. De altera Sybari, quam Paus. VI, 19, p. 499. Kuhn. inter Brundusium et Hydruntem sitam ac posteriori nomine Lupiam dictam monet, vide nos infra lib. I. cap. 3. extr. Quae Mazocchio in mentem venerint, Sybaris nomen a voce שבר vel a שורים derivanti, Thuriorum autem a תור, ea videsis apud ipsum Tab. Heracl. p. 517.: quocum conf. Begeri Thes. Brand. Select. I, 331.

LIBER PRIOR.

HISTORIA THURIORUM.

CAPUT I.

DE TEMPORE, QUOD INTERFUIT INTER SYBARIM DELETAM ET THURIOS CONDITOS.

Sybaritarum civitati finem intulit clades cruentissima a Crotoniatis Milone duce iis inflicta. Contulerunt signa ad Traentem fluvium, alteri hospitii tutores atque communis gentium juris vindices, Sybaritae, interno reipublicae statu prorsus dissoluto, superbia ultra humanum modum adaucta tumidi et quasi furentes, ut Martem, quem ipsi injuste excitaverant, acerbissimum experirentur. Ingentibus utrimque copiis congressi erant: victoria tandem stetit apud Crotoniatas, qui mox [1]) Sybarim expugnatam et direptam solo aequarunt, ruinis autem Crathim immiserunt aggeribus interscissis: qui florentissimae urbis vestigia ad unum omnia funditus delevit. Incidit Sybaris excidium in Ol. LXVII, 3. (Diod. XI, 90, XII, 10.), postquam fere CCX annos incolumis perstiterat (auctore Scymno Chio v. 356 sqq.): unde initia ejus circa Ol. XV ponimus.

Restituendae urbis post duodesexaginta demum annos conatus factus est, teste Diodoro ll. ll. Quid? nonne idem Polyzelum circa finem Olymp. LXXV Sybaritis Crotoniensium obsidione pressis auxilio missum tradidit? XI, 48. Namque Hiero fratrem, quem gratia apud Siculos pollere sentiret, exercitui, qui illis opem laturus esset, praefecit, ea spe ductus, fore, ut nunquam salvus inde rediret: de qua expeditione diversa sane ac plane contraria nobis servata sunt testimonia; nam si Diodorum sequimur, Polyzelus insidiis Hieronis perspectis ad Theronem confugit: secundum Scholia ad Pindari Olymp. 2, 29. (II, 1, p. 65 Boeckh.), cf. ad v. 120, Sybaris reficiendae causa (*ἀνοικισμὸς*) in illas regiones missus est, neque dicitur eo loco, quomodo

---

1) *Τὴν εὐδαιμονίαν ἀφῃρέθησαν — ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα* (*O*) Strabo IV, 404. Epitomator novem dies (*Θ*) exhibet. Scymn. Chius v. 353: *ἐν βραχεῖ χρόνῳ.*

rem gesserit: contra si Timaeo majorem fidem tribuimus (ap. Didymum in iisdem Scholiis l. l. p. 64. fgt. LXV, p. 264. Goeller), bellum contra Sybaritas susceptum (a Crotoniensibus haud dubie, non ab ipso Hierone) occasionem Hieroni praebuit fratris ablegandi: sed prospere re gesta spem insidiatoris fefellit. Negat Boeckhius V. Cl. (in explicationibus ad Pindari locum, II, 2, p. 118. cf. Goeller. de situ Syracus. p. 17.) id a Timaeo dictum fuisse, imo eum haud dubie tradidisse, id quod verum videtur viro doctissimo, ad restituendam Sybarim ablegatum Polyzelum esse. Ac sane si quis probare velit, tum primum restitutam Sybarim esse, fortasse confirmari opinetur sententiam suam loco Polybii II, 39., ubi paulo post Pythagoreorum collegia incensa Sybaritarum fit mentio. Sed falsum in hoc esse Polybium infra periculum faciemus demonstrandi. Atque omnino negamus, Sybaritas illo tempore de reficienda patria urbe cogitasse. Nam quum vix sit cogitandus Diodorus sibi ipse contradicens, si alio modo eam difficultatem tollere licet, in aperto est, eum, qui libro XI, 90 et XII, 10. Sybarim post LVIII demum annos refectam tradat, lib. XI, 48, ubi de Crotoniatibus eam urbem oppugnantibus verba facit, aliter explicandum esse.

Etenim Herodotus VI, 21. nos certiores facit, qui cladi urbique suae superfuerint Sybaritarum, LAUM et SCIDRUM se convertisse, ubi Milesiis, qui post Sybarim excisam publice luctum indixerant, Mileto eversa (Ol. LXX, 3) non parem gratiam retulerunt. De Lai situ ad Laum fluvium, a Crotone stadiis CCCC, constat ex Strabone VI, 388, et ex Plinio N. H. III, 10. Scidrus, de qua aliunde certius quidquam non cognovimus, ei vicina fuerit. Steph. Byz. s. v. Σκίδρος πόλις Ἰταλίας, i. e. Italiae angustiori sensu dictae ab auctoribus Stephani: ubi nunc est *Citrano*, eam fuisse suspicatur Holstenius ad Cluver. p. 288. Sed cf. Romanell. I. p. 376 et 381. Utraque videtur colonos a Sybaritis accepisse aliquanto ante hujus urbis interitum: nam diruta demum Sybari a reliquiis cladis illius funestissimae Laum et Scidrum occupatas esse, prioribus incolis subactis vel expulsis, quae est sententia Mazochii tab. Heracl. p. 502, Radulphi Rochettii Hist. des colonies gr. t. III, p. 143, aliorum, minime verisimile est. Magis etiam eos errasse omnibus machinis contenderim, qui POSIDONIAM quoque a Sybaritis patria sua exutis expugnatam esse statuerent: de quo hic nobis paulo diligentius inquirendum est. Ac de prioribus incolis Posidoniae (quae Paesti nomen postea accepit) nunc non dicemus: hoc tantum quaerimus, quo tempore a Sybaritis obsessa fuerit, quorum coloniam eam fuisse testantur Strabo lib. V. sub fin. et Scymnus v. 245. In quo tum Neptuni cultus, qui Posidoniae maxime obtinuit, tum aedifi-

ciorum quod restat [2]), tum genitivus doricus in ΑΝ in numis expressus luculentissime declarant, non posse non de Troezeniis cogitari, quos una cum Achaeis Sybaritis urbem eorum initio incoluisse memoriae prodidit Aristoteles Pol. V, 2. Schneid. Idem videtur voluisse Solinus II, 10.: *Paestum a Dorensibus* (sic), ubi Mazocchium ne mireris de Phoeniciis Dora oriundis cogitasse. Cf. O. Muell. Dorr. I, 403. Etrusc. I, 191. Jam quum ex Diod. XII, 9. Herod. V, 44. Heraclid. Pont. ap. Athen. XII, 521 discamus, Telyn plebi Sybaritanae persuasisse, ut quingentos ex optimatibus urbe ejicerent (id quod sub finem civitatis accidit), hos Troezenios fuisse conjecit Heynius V. Cel. Opusc. II, p. 135. (quem sequuntur Wesseling. ad Diod. XII, 9. Krische de societ. a Pythag. Crotone cond. p. 17., alii) propterea, quod Aristoteles l. c. postquam Troezenios ab Achaeis numero superioribus expulsos esse commemoravit, hoc adjicit: ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις. At licet haec Aristotelis verba plurimum faciant ad istam sententiam commendandam, tamen aliud quid exstat, quod non minus graviter contrarium arguat. Numorum enim Posidoniensium typum antiquissimum si consideramus, ad Ol. LXVII. descendere nullo pacto licet: et Crotonem Sybaritae a Telyis factione ejecti dicuntur se convertisse. Accedit, quod utique lubricum est, in Herodoto I, 167, ubi Phocaeensibus Veliam condituris (Ol. LXI.) Paestanus homo dei responsum explicuisse dicitur, prolepsin historicam statuere. Quapropter Doricam urbis partem multo ante ultima Sybaritanae civitatis tempora (c. CIII. a. u. c. est O. Muelleri sententia admodum probabilis Etrusc. I, p. 203.) crediderim expulsam esse, vel potius jure pacto cessisse: nam consuetudinem aliquam inter Sybaritanos et Posidoniatas intercessisse, persuadet numus, cujus in antica legitur ΛΑΙ, in aversa ΠΟ = Laus et Posidonia. Eckhel. D. N. I, 1, p. 153. Quamquam ab Aristotele non sine timore quodam discessi [3]). Ut igitur ad initium disputationis nostrae redeamus, haec videtur Diodori sententia fuisse, quamquam illa minus accurate expressa, Crotoniatas illis Sybaritis, qui-

---

2) De Paestanis reliquiis cff. O. Muelleri *Handb. d. Arch.* p. 58. C. Ulysses v. Salis Marschlin's *Reisen in versch. Provinzen d. Königr. Neapel*, t. I. p. 226. Swinburne travels in the two Sicilies t. II. p. 131 sqq. Eustace tour through Italy t. II. p. 24. v. d. Hagen *Briefe* cett. t. III. p. 223 - 249. — Micali l'Italia avanti cett. t. III. p. 171. vers. franc. Romanelli topografia cett. t. I. p. 331.

3) Quod Ullrichius p. 32. Crotoniatarum numos Doricis inscriptionibus signatos affert, ad Sybaritanos, quamquam et ipsos Achaeos, momentum non habet, quippe qui nunquam eam Doricam indolem induerint, qua Croton ab initio gaudebat. Cf. O. Mueller. Dorr. II. 178. et passim.

bus Laum et Scidrum recessum permiserant, c. Ol. LXXVI. denuo bellum intulisse. Quod quomodo iis cesserit, in ea, quam supra notavimus, auctorum discordia hodie enucleare non possumus. Videntur haud multum effecisse, certe Sybaritas non plane oppresserunt. Nam Ol. LXXXI, 4. Thessalus quidam, sive Thessali (utrumque ex Diodoro XI, 90. et XII, 10.) veterem Sybarim instauraverunt cum iis, qui ex pristina clade supererant. Nova urbs ex soli ubertate celeriter laeta incrementa cepit: sed Crotoniatae veteris odii non obliti sexto anno post (iterum differunt Diodori loci XI, 90. et XII, 10., ille VI, hic V annos exhibens: quomodo vero fieri possit, ut ex lacuna, quae inter Ol. LXXXI, 4. et LXXXII, 2. apud Diodorum intercedit, ea differentia explicetur, id quod videtur Wesselingio ad XII, 10., difficile est ad intelligendum) iterum Sybaritas inde expulerunt Ol. LXXXIII, 2. In quo Heynio illud jure mirum videtur, quod Crotoniatae non ipsi agros feracissimos cultu vel colonis occupare maluerint. Sed equidem miror, virum Celeberrimum, quum *illa scriberet*, non cogitasse de loco clarissimo Apollonii ap. Jambl. 35, §. 255., ubi Sybari capta ager bello partus, quum non e voluntate plebis κατεκληρουχήθη, odii in Pythagoreos erumpentis dicitur causa fuisse. Itaque etsi non ipsa veterem Sybarim arctius circumjacentia loca incoluerunt Crotoniatae, tamen videmus, agrum Sybaritanum ex aliqua parte victoribus cessisse. Cf. O. Mueller. in hist. Doriens. II, 180. Krische de soc. a Pyth. cond. p. 93. Alias ejus partes ab iis, qui ante Sybaritarum imperium suo jure eas possederant, vindicatas esse haud falso suspicabimur.

Caput II.

DE COLONIA THURIOS DEDUCTA.

Sybaritae iterum patria expulsi Lacedaemonem et Athenas legatos miserunt, qui reditus atque urbis denuo constituendae auxilium sociosque expeterent. Quod quum a Lacedaemoniis impetrare non potuissent, faciliores se precibus eorum praebuerunt Athenienses, quippe qui jam tum ardua illa consilia videantur moliti esse, quae de posteriore tempore memoriae prodita sunt Thuc. VI, 90. coll. Diod. XIII, 2. 30. et quae jam callide attigerunt Corcyraeorum legati Thuc. I, 36. (τῆς τε γὰρ Ἰταλίας καὶ Σικελίας καλῶς παράπλου κεῖται κ. τ. λ.) cf. 44. et Plut. Per. 20. Itaque auxilium suum polliciti decem naves exstruxerunt colonis deducendis, quibus et alios praefecerunt, et Lamponem vatem nobilissimum: praeterea Peloponnesii invitati sunt in societatem condendae coloniae, quorum multi nomina dedere. — Urbi

autem, cujus paulo post sedem mutaverunt, Apollinis oraculo renunciato, nomen Thuriis sive Thurio inditum est. Sed non ita multo post urbem constitutam seditione exorta Sybaritae, qui sibi plus aequo arrogassent, expulsi sunt, ipsaque civitas confirmata novis e Graecia colonis advocatis. Diod. XII, 9–11. Strabo VI, 414. Priorem illam coloniam spectant, qui Archonte Callimacho Thurios conditos memorant (Corsini Fast. Att. III, 210. al.), posteriores colonos, qui ad Praxitelem Archontem illud referunt (e. g. Meurs. Lectt. Att. 4, 15. Larcher. Herod. t. I, p. LIV.).

Quae quum levi tractu delineaverimus, paulo subsistamus atque ad temporum rationes accuratius describendas convertamur. In quo inprimis repugnamus Voemelio, qui nuper libello scholastico: *Quo anno Thurii conditi sint*, Praxitele Archonte, Ol. LXXXIV, 1. a. Chr. 444. colonos ad urbem condendam statuit profectos esse p. 4 sqq. Nititur enim duobus locis, quibus de vita Lysiae oratoris agitur, Dionysii Halicarnassensis et auctoris Vitt. X oratt., quos, quippe qui in hac disputatione maxime valeant, infra adscripsimus [1]). Qui sane efficiunt, Lysiam Ol. LXXXIV, 1. Thurios venisse una cum aliis colonis e Graecia in eundem locum commigrantibus. Sed eos, quos Lysias comitatus est, non primos fuisse, qui novam coloniam conderent, gravissimum Diodori testimonium docet, quem quomodo sententiae sibi adoptatae conciliaverit V. D., nunc videamus. Diodorus enim haec habet XII, 10: *ὕστερον ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸς τοῖς πεντήκοντα Θετταλοὶ συνῴκισαν καὶ μετ' ὀλίγον ὑπὸ Κροτωνιατῶν ἐξέπεσον, πέντε ἔτεσιν ὕστερον τοῦ δευτέρου συνοικισμοῦ, κατὰ τοὺς ὑποκειμένους καιρούς, ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνῃσι Καλλιμάχου συνῳκίσθη, καὶ μετὰ βραχὺ μετασταθεῖσα εἰς ἕτερον τόπον κ. τ. λ.* Sybaris igitur denuo a Crotoniatis eversa Archonte Cal-

1) Dionys. Hal. Jud. Lys. in. Vol. V. p. 452. Reisk.: *Λυσίας — ἔτη πεντεκαίδεκα γεγονὼς εἰς Θουρίους ᾤχετο πλέων σὺν ἀδελφοῖς δυσὶ, κοινωνήσων τῆς ἀποικίας, ἣν ἔστελλον Ἀθηναῖοί τε καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλὰς δωδεκάτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου.* Alter locus in Reisk. orr. Vol. VI, p. 104. ex certissimis VV. DD. emendationibus ita legitur: *γενόμενος Ἀθήνῃσιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος, τοῦ μετὰ Φρασικλείδην* (legebatur *Φρασικλῆ*) *κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς* (libri *καὶ δευτέρας*) *Ὀλυμπιάδος κ. τ. λ.* et postea: *ἐπεὶ δὲ τὴν εἰς Σύβαριν ἀποικίαν τὴν ὕστερον Θουρίους μετονομασθεῖσαν ἔστελλεν ἡ πόλις, ᾤχετο — ἔτη γεγονὼς πεντεκαίδεκα, ἐπὶ Πραξιτέλους ἄρχοντος.* Idem legitur in Photio cod. CCLXI, p. 489. Beck.: *τὴν εἰς Σύβαριν ἀποικίαν στελλούσης τῆς πόλεως ᾤχετο — ἔτος δὲ πεντεκαιδέκατον ἦγε.* Suid. s. v. *Λυσίας· — γεγονὼς δὲ ἐτῶν ιε' ἐς Θουρίους ᾤχετο — κοινωνήσων τῆς ἀποικίας.*

limacho novos colonos accepit, qui aliquanto post sede mutata urbem in propinquum locum transtulerunt, ducibus Lampone et Xenocrito. Hoc ubi dixit scriptor, quum ei in animo sit, uberius ejus coloniae conditae historiam perscribere, iterum ab initio eam repetit ac legatos a Sybaritis Athenas et Lacedaemonem missos enarrat. Quod profecto nemini fuit offensioni, nisi ei, qui opinionis, quam amplectitur, confirmandae studio refragantia aliorum testimonia non obstare, quoquo modo evincere conatus est. Itaque quum Diodorus in eodem versu duas res diversas ac prorsus contrarias dicere ei videretur, "*Sybarim a Crotoniatis deletam esse et aedificatam ab Atheniensibus eodem tempore ac postero*" (quod a Diodoro dictum esse quis est qui concedat?), Voemelius deleta voce *συνωκίσθη* fortius distinxit post *ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνῃσι Καλλιμάχου,* quod ad antecedentia refert, i. e. ad Sybarim a Crotoniatis eversam.

Sed ne illud iteremus, hanc emendationem, imo depravationem omnino non esse necessariam, neve hoc premamus, verba illa *ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήν. Καλλιμ.* mirum in modum frigere eo loco posita [2]), plane falsum est, quod inde efficitur. Nam ut admittamus, in verbis *πέντε ἔτεσιν ὕστερον τοῦ δευτέρου συνοικισμοῦ* corrigendum esse *ἕξ* e Diod. XI, 90. (hic numerus Wesselingio quoque verior videtur ad Diod. l. l.), atque etiamsi concedamus, rem ita cogitari posse, Sybarim sub finem Olympiadis LXXXI, 4. i. e. a. Chr. 452 a Thessalo quodam restitutam esse et post sex annos Archonte Callimacho denuo eversam, quomodo, quaeso, hoc convenit Diodoro ipsi XII, 22 (quem locum quin afferret caute vitavit V. D.), quo loco Sybaritae seditione in nova urbe exorta Archonte Lysimachide, i. e. Ol. LXXXIII, 4. ejecti dicuntur? ut coloniam antea deductam fuisse et a Diodoro ad annum superiorem relatam, luce clarius sit. Sed p. 4. V. D. Sybarim deletam adeo a. Chr. 451. statuere videtur, dicit enim haec: *Secundum Scymnum Ch. v.* 353. *primo anno Olympiadis Sybaritae ludos Olympicos celebrantes a Crotoniatis oppressi sunt. Id quod cum Diodori ratione sic componi potest: Sybaris deleta Olymp.* LXVIII, 1. *a. Chr.* 508, *restituta post* 58 *annos plenos i. e. a. Chr.* 451, *non* 452, *quem numerum posuimus.*

At hic quoque falsa opinione captum V. D. deprehendimus. Age evolvamus Scymnum, quid dicit?

---

2) Quod ne ipsum quidem virum doctum latuit, quapropter etiam *ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνῃσι Καλλιμάχου*, quo quis *κατὰ τοὺς ὑποκειμένους καιροὺς* explicuisse videatur, ejiciendum esse proponit.

σπεῦσαι δὲ (Sybaritas) καὶ τὸν τῶν Ὀλυμπίων ὅπως
αγῶνα καταλύσωσι, τάς τε τοῦ Διός
ἀνέλωσι τιμάς, τῇδε τῇ παρευρέσει.
Ἀδρόμισθον δὴ γάρ[3]) γυμνικόν τιν' ἐπετέλουν,
κατὰ τὸν χρόνον τὸν αὐτὸν Ἠλείοις, ἵνα
πᾶς τις πρὸς αὐτοὺς τοῖς ἐπάθλοις[4]) ἀγόμενος
σπεύδοι καταντᾶν, ἀπολιπὼν τὴν Ἑλλάδα.
Κροτωνιᾶται πλήσιον δὲ κείμενοι
κατὰ κράτος αὐτοὺς ἦραν ἐν βραχεῖ χρόνῳ κ. τ. λ.

Quivis jam videt, non inesse in his verbis, quae inde extricavit Voemelius. Adde Athen. XII, 521, f.: διόπερ ἀνάστατοι ἐγένοντο καὶ διεφθάρησαν ἅπαντες οἱ καὶ τῶν Ὀλυμπίων τὸν πάνυ ἀγῶνα ἀμαυρῶσαι ἐθελήσαντες, καθ' ὃν γὰρ ἄγεται καιρὸν ἐπιτηρήσαντες, ἄθλων ὑπερβολῇ ὡς αὐτοὺς καλεῖν ἐπεχείρουν τοὺς ἀθλητάς. Ergo non in ipsis ludis celebrandis oppressi sunt. Potuit quidem V. D. in sententiam suam laudare Plin. N. H. VII, 22.: *Auditus unum exemplum habet mirabile, proelium, quo Sybaris deleta est, eo die, quo gestum erat, auditum Olympiae*: quo fortasse multitudo ad solemnia celebranda Olympiae versans cladis ejus certior facta esse significatur. Sed ne sic quidem quidquam tali famae tribuendnm. Exstant enim plurimae ejusmodi fabulae, quibus idem repetitur. Cf. Plin. l. c. Plut. Aemil. Paull. c. 24 sq. et qui alii de pugna ad Sagram laudantur loci. Denique de testimonio Plinii N. H. XII, 4, Herodotum A. U. CCCX Thuriis historiam suam condidisse, infra videbimus. Non plus confert ad Voemelii rationem firmandam, quam illae de Lysia enarrationes supra laudatae.

Alii, ut difficultates illae expedirentur, coloniae decretae et deductae tempora distinxerunt (v. c. Wesseling. ad Diod. XII, 10): sed vix quidquam inde lucramur. Omnia vero clara sunt, si in eo persistentes, quod Diodorus innuit, coloniam alteram Archonte Callimacho deductam esse statuamus, Lysiam autem et Herodotum alteri coloniae se adjunxisse, quae Praxitele praetore Athenis profecta est ad augendum statum novae civitatis seditione illa, qua Sybaritae expulsi sunt, valde labefactatum. Has duas colonias secernendas esse, egregie perspexere, qui nuperrime de tempore Thuriorum conditorum scripserunt, Hoelscherus in libro de vita et scriptis Lysiae oratoris, p. 17–21, et

---

3) Hoc vocabulum recte inserit ad metrum constituendum Krebsius Lectt. Diod. p. 165.

4) Sic Krebsius l. l. ex Palatino. Legebatur contra metrum ἐπαθλίοις.

Theodorus Bergkius in Commentationibus de reliquiis comoediae Atticae antiquae p. 51 sqq. Ea quidem in re differunt illi VV. DD., utri coloniae Lampon praefuerit: quum tamen in aperto sit, a Strabone, quippe qui de una tantum colonia loquatur, rem minus accurate expositam esse, non concedamus Hoelschero, Diodorum e Geographo ita corrigi debere, ut Lampon coloniam post Sybaritas expulsos Athenis profectam duxerit (posterioris coloniae ducem fuisse Lamponem, et ipse statuit St. Croix in Mém. de l'Acad. XLII.), ac plane consentimus cum Bergkio, qui e Diodori mente seditionem Sybari exortam post colonos a Lampone deductos statuit. Neque equidem ignoro, qualem fidem omnino habeat Diodorus: sed hoc loco consulte omnibus perpensis mihi persuasum est, non nimium ei me tribuisse [5]).

Quod autem tanto studio Athenienses Sybarim restituendam susceperunt, id potissimum Pericle auctore factum est (Plut. Per. 11. praec. reip. ger. 15.): qui quidem ab Ol. LXXXIII, 4 demum solus rempublicam Athenarum gubernare coepit (Plut. Per. 6. Thuc. II, 65.), neque tamen propterea, quod ab illo coloni Thurios dicuntur missi esse (Plut. ll. ll.), isto anno omnino ea expeditio posterior habenda est. Namque jam aliquanto ante hoc tempus res Atheniensium propemodum ad suum arbitrium direxerat: atque ipsae eae res, de quibus Plutarchus in illis locis loquitur, antea gestae erant. Illo tempore autem eo magis consentaneum est Athenienses tetendisse ad potentiam suam per Italicas regiones constituendam ac divulgandum, quum in ipsa Graecia clade nuper ad Coroneam accepta vires suas aliquantum fractas viderent. Thuc. I, 113. Diod. XII, 6. cf. Clinton. Fast. Hell. t. II, ad a. 447 et p. 258. in summario Thucydidis. Itaque acri studio urbis, quae sui juris esset, in Italia condendae decem naves colonis repleverunt, Peloponnesiis quoque per praecones in societatem vocatis. Diod. XII, 10 [6]). Inter eos, qui colonis deducendis praefecti sunt, primum locum videtur obtinuisse Lampon, vates ille nobilissimus, et cujus opera praecipue in colonia Thurios deducenda Pericles usus esse dicitur Plut. ll. cc. Schol. Aristoph. Av. 521, p. 443 Dind. De hoc viro, in quem comici poëtae attici maxime odium suum lusumque exercuere, cf. Schol. Aristoph. Av. 988. p. 471 Dind. Ath. VIII, 344, e. plura dabit Th.

---

5) Totam rem plane aliter sibi constituit Ullrichius lib. laud. p. 55 sqq.

6) Cf. Eust. ad Dion. Perieg. 373, a quo Lacedaemonios quoque coloniae socios perhiberi, ne moreris: Lacedaemonios enim, quamquam publice eam societatem detrectaverant, singulis puta facultatem praebuisse nomina subscribendi.

Bergkius l. c. Vates autem quo consilio dux condendae coloniae electus fuerit, eximie docet Bergkius p. 51. his verbis: "*consentaneum sane est, ubi nova urbs condenda aut colonia deducenda erat, semper vatem aliquem et interpretem sacrorum additum esse, qui illic rerum divinarum curam gereret, ut et rite res administraretur, et nova civitas cum patria religionum et sacrorum jure arctissime copularetur.*" Cf. Boeckh. introd. ad Pind. Ol. VI. Suid. s. v. Θουριομάντεις· Λάμπων ὁ μάντις, ἐξηγητὴς ἐσόμενος τῆς κτίσεως τῆς πόλεως. Quem et ipsum aliquod fecisse ad eam expeditionem Atheniensibus persuadendam, comprobat interpres Aristoph. Nub. 331, p. 216 Dind.: ἦν δὲ καὶ τῶν πολιτευομένων πολλάκις, λόγους δὲ συνεχῶς εἰσάγειν ἐφαίνετο περὶ τῆς εἰς Θούριον ἀποικίας [7]). Unde comica vox Θουριομάντεις Aristoph. Nub. 331, quam sive de compluribus vatibus Thurios missis, sive de colonis Lampone duce profectis interpretantur Schol. Aristoph. Nub. 331. Suid. Hesych. (ubi in verbis τινὲς δὲ * μάντιν ὄντα nomen proprium deesse vidit Reiskius). Etym. M. s. v. Eust. ad Dionys. Perieg. 373. Phot. p. 93, 19 ed. Cant. Una cum Lampone novem viri classi praefecti sunt Schol. Nub. 331 (ex eo Suid. s. v. Θουριομάντεις). Av. 521.: αὐτὸν σὺν ἄλλοις θ'. Rectissime Bergkio denarius numerus eo videtur referendus esse, ut in replendis navibus ducibusque eligendis X tribuum ratio habita sit. Idem tamen censet, fortasse δ', i. e. τέσσαρες in Schol. Nub. 331 legendum esse: videtur V. D. propterea ita statuere, quod apud Photium quinque duces nominantur, ex quibus unum posteriori coloniae praeficit Bergkius: neque vero ei loco tantum tribuerim, in quo non omnes duces enumerati sunt, sed ii tantum, quibus variis hominum sermonibus praecipue colonia deducta adscriberetur: et consentit cum lectione Suidae. Phot. Θουριομάντεις· τοὺς περὶ Λάμπωνα. τὴν γὰρ εἰς Σύβαριν ἀποικίαν οἱ μὲν Λάμπωνι ἀνατιθέασιν, οἱ δὲ Ξενοκρίτῳ, οἱ δὲ τῷ Χαλκιδεῖ Διονυσίῳ, οἱ δὲ Καθάριοι τῷ Λάκωνι, οἱ δὲ Πλησίππῳ Ἀθηναίῳ. Xenocritus [8]) cum Lampone colonos deduxisse a Diodoro quoque dicitur. Dionysium Chalcide oriundum, κτίσεων scriptorem incertae aetatis (cf. Heynii opusc. II, p. 339. Voss. de hist. Gr. I, p. 358.), cum Dionysio, cui cognomen Χαλκῷ inde additum

7) Eodem modo vaticiniis suis sacrorum interpretes induxerunt Athenienses, ut bellum contra Syracusanos suscipiendum decernerent. Thuc. VIII, 1.

8) Ita audit apud Diodorum et Photium. Osannus vult Ξενοκράτῃ; eodem nomine eum alii VV. DD. appellant, nescio unde, nisi forte interpretem Diodori, qui alteram formam praebet, quam ipsum Siculum sequi maluerunt: Ξενοκρίτῳ optime se habet.

est, quod aereis uti numis Atheniensibus suasit (Ath. XV, 669, d.), sive a Photio sive a librario mira temporum perturbatione confusum esse, satis convenit inter viros doctos. cf. Fr. Osann. *Beiträge zur griech. u. röm. Literaturgesch.* fasc. I. p. 80 sqq. Th. Bergk. p. 52. In Plutarchi vita Niciae c. 5, qui locus emendationem illam reddit certissimam [Ἱέρων — προσποιούμενος υἱὸς εἶναι Διονυσίου τοῦ χαλκοῦ προσαγορευθέντος, οὗ καὶ ποιήματα σώζεται, καὶ τῆς εἰς Ἰταλίαν ἀποικίας ἡγεμὼν γενόμενος ἔκτισε Θουρίους] Osanno legendum videtur καὶ ὃς τῆς κ. τ. λ., sed hoc non necessario requiritur, ac malim cum Bergkio per negligentiorem quandam orationis conformationem pronomen relativum omissum esse judicare. Idem videtur statuere Rad. Rochettius hist. des col. gr. t. IV, p. 35. Deinde sub vocabulo Καθάριοι nomen ducis latere, in aperto est. Adscribam conjecturas virorum doctorum de hoc nomine, judicium ferre non ausus: Albertius ad Hesych. s. v. θουριομάντεις et Lobeckius Agl. II, 980 conjecerunt Καθάρνῳ, Osannus hoc rejiciens, quippe quod alias non inveniatur, maluit Κανθάρῳ, Bergkius proponit Κανθαρείῳ vel Καθαρίῳ, quod utique codicis vestigia maxime premere videtur. Denique eum quoque, qui ultimo loco legitur, Plesippum Atheniensem vario modo restituebant VV. DD. Τελησίππῳ voluit V. D. in *Class. journal* vol. XXVIII, p. 40, citatus ab Osanno, ipse Osannus Πληξίππῳ, Τλησίππῳ Bergkius. Aliunde de viro non constat. Ceterum Bergkius Dionysium non priori coloniae se adscivisse, verum alteram deduxisse suspicatur, quod in medio relinquamus. Idem video statui a Clar. Boeckhio in Staatsh. d. Ath. t. II, p. 136. Peloponnesios illo Cathario duce usos esse, Bergkii conjectura est admodum verisimilis.

Quot autem Athenienses Lampone duce Thurios migraverint, quum hac de re veterum testimoniis nimis egeamus, omnino ignoramus. In Suid. s. v. Θουριομάντεις, ubi δέκα ἄνδρες ad condendam coloniam ab Atheniensibus missi esse traduntur, editio Basileensis ex conjectura dederat ,ι i. e. μυρίους: sed manifestum est, eam stare non posse. In Chersonesum mille colonos miserat Pericles, Naxum quingentos, Andrus dimidium ejus numeri acceperat, Thracia iterum mille (Plut. vit. Per. 11.). Sed ex his exemplis certum quidquam de Thurina colonia enucleari nequit, praesertim quum Peloponnesii in societatem adsciti essent. Lampon re peracta Athenas rediit. Thuc. V, 19. 24.

"Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Joniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo" 9)?

---

9) Cic. de divin. I, 1, 3.

Itaque quum primum quidem colonis in animo fuisset, Sybarim deletam restituere: aliter iis placuit accepto Apollinis oraculo (*commode, ut videtur, invento ad Crotoniatarum studia et consilia infesta eludenda, qui in vetere loco urbem restitui vetabant.* Heyn. Opusc. II, p. 139.), *ὅτι δεῖ κτίσαι πόλιν αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ, ὅπου μέλλουσιν οἰκεῖν μέτριον ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρῆ δὲ μάζαν ἔδοντες.* Diod. XII, 10. cf. Phot. p. 263, 9: *Μέτρῳ ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρὶ δὲ μάζαν ἔδοντες* (sic emendavit Th. Bergkius lectionem *ἀμετρία*, confirmante Arsenio Viol. p. 353 Walz.). *οὗτος ὁ στίχος εἰς παροιμίαν περιέστη ἔκ τινος χρησμοῦ, ὃν ἀνεῖλεν ὁ θεὸς Συβαρίταις, ὑβρισταὶ γὰρ ὄντες καὶ ἀμετροπόται ἀπώλοντο ὑπὸ Κροτωνιατῶν· τοῖς οὖν διαφυγοῦσιν αὐτῶν οὕτως ἐχρήσθη.* Quod dei responsum quomodo iis evenerit, vide ap. Diodorum l. l. [10]). Itaque urbi ad propinquum locum circa fontem Thuriam translatae nomen aliquanto post ex ea indiderunt Thuriorum. De cujus exstructione latius egimus in prooemio. Strabonem, qui post seditionem demum exortam pulsosque Sybaritas urbem nova sede collocatam perhibet, ut diversa colonorum deductorum tempora omnino confundentem e Diodoro corrigendum esse censuimus.

Haud multum vero temporis, pergit Diodorus XII, 11., concordia perstitit Thuriis: nam qui veterem Sybarim incoluerant, suam et urbem et terram esse existimantes, omnino majora, quam aequum erat, jura sibi vindicarunt. add. Aristot. pol. V, 2. Schn. p. 156. Goettl. Itaque vehementibus inter illos et adscriptitios colonos exortis contentionibus, Sybaritae numero viribusque inferiores fere omnes trucidantur, reliqui urbe pelluntur. Id quod factum est Archonte Athenis Lysimachide Ol. LXXXIII, 4. Diod. XII, 22.

In quorum locum novi ut sibi e Graecia adducerentur coloni, petierunt Thurini. Athenienses interea a. 445. Euboeenses et Megarenses, qui defecerant, rursus subjecerunt, cum Peloponnesiis autem, qui in Atticam Plistoanacte duce irruperant, pacem in triginta annos pepigere. cf. quos laudat Clinton. Fast. Hell. II, ad a. 445. et p. 258. Deinde Thucydide Melesiae f. testarum suffragiis ex urbe pulso solus Pericles rem publicam gubernare coepit. Plut. Per. 16. Thuc. II, 65.

Itaque qui jam priori coloniae Sybarim deducendae acerrimum studium impendisset, libenter satisfecit Thurinis nunc denuo colonos a se petentibus. Egregie favit novae coloniae mittendae, quod quum

---

10) Ignarra l. l. comparat Ezech. 4, 11. 16.

Archonte Lysimachide Atheniensibus annonae inopia laborantibus Psammetichus magnam tritici copiam largitus esset, lege a Pericle perlata, *μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας*, fere quinque millibus civium jus ereptum est. Philochorus ap. Schol. Aristoph. Vesp. 738, p. 878. Dind. Plut. Per. 37. (ubi lectionem librorum *ἐπράθησαν* Clinton. Fast. Hell. ad a. 444. optime emendavit *ἀπηλάθησαν*: cf. Fr. Hermann. antt. graec. §. 123. nro. 18. ibiq. citt.) Ex his plerumque hanc alteram coloniam constitutam esse, verissime videtur Clintonius conjecisse in Fast. Hell. II. p. 389. Sic videmus in hanc optime quadrare, quod omnino de consilio Periclis in condendis coloniis exhibito docet Plutarchus Per. 11: *καὶ ταῦτ' ἔπραττεν, ἀποκουφίζων μὲν ἀργοῦ καὶ διὰ σχολὴν πολυπράγμονος ὄχλου τὴν πόλιν, ἐπανορθούμενος δὲ τὰς ἀπορίας τοῦ δήμου, φόβον δὲ καὶ φρουρὰν τοῦ μὴ νεωτερίζειν τι παρακατοικίζων τοῖς συμμάχοις.*

Sed non ii tantum, quos sinu suo removere studebat Atheniensium civitas, tum Thurios migrarunt: adjunxerunt se illis viri nobilissimi, Lysias, Herodotus, alii; praeterea ex tota Graecia permulti participes facti [11]); hanc alteram autem coloniam vere anni a. Chr. 443, i. e. sub finem anni primi Olympiadis LXXXIV. Praxitele Archonte deductam cum Clintonio statuimus.

Herodotus fuit e colonorum numero, teste Strabone XIV, 970: *Ἡρόδοτος, ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν, διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας.* Suidas s. v.: *εἰς τὸ Θούριον ἀποικιζόμενον ὑπὸ Ἀθηναίων ἐθελοντὴς ἦλθε*; Plut. de exilio 13: *μετῴκησε γὰρ εἰς Θουρίους, καὶ τῆς ἀποικίας ἐκείνης μετέσχε.* Neque ambigitur, Herodotum Thuriis vixisse (unde Thurius nominatur, Strab. Plut. ll. ll. et de Her. malign. 35. Julian. ap. Suid. cf. Arist. Rhet. III, 9. Adde quos laudat Heysius de Herodoti vita p. 70: Julian. epist. 22. Avien. descript. orae mar. v. 49); sed num statim cum altera colonia eo pervenerit, quaestio est minus illa quidem extra dubitationem posita [12]). Plutarchus enim an seni c. 3, ubi exempla poëtarum recenset, qui ad extremam aetatem vigorem servaverint, initium carminis Sophoclei exhibet:

---

11) Compara colonos ex universa fere Graecia Syracusas vocatos Plut. Tim. 23.

12) Colonos Ol. LXXXIV, 1. et anno antecedente deductos esse, atque in prioribus Herodotum fuisse, inde conjicias, quod is Plin. N. H. XII, 4. anno urbis trecentesimo decimo historiam suam Thuriis condidisse, i. e. a. Chr. 444., cui respondet A. U. Varr. 310., ad Thurios colendos profectus esse dicitur.

Ὠιδὴν Ἡροδότῳ τεῦξε Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.

Jam licet nullum non mirum habeat, quod inter illa exempla epigramma poëtae quinquaginta quinque annos nati affertur, tamen exstat initium ejus carminis, quod sententiam nobis adoptatam aliquanto perturbare possit videri. Nam Sophocles natus est Ol. LXXI, 2. (vit. Soph.), ita ut quinquagesimum quintum annum ageret Ol. LXXXV, 1. Itaque si cum Heysio p. 67. teneamus, vix dubitari posse, quin noster Herodotus, nec alius quispiam, intelligendus sit (id quod non probare videtur Handius Encyclop. s. v. *Herodot,* sect. II, t. 6, p. 380 sqq.), Herodotus eo anno aut Athenis commoratus est, aut Sami, ubi circa illud tempus Sophocles cum novem aliis classi Atheniensium praefuit (Jaeger. disputt. Herod. p. 25. Sinten. ad Plut. Per. p. 96.). Nam carmen illud a Sophocle Herodoto Thurios missum esse (ita V. D. in *Jen. Lit.* 1828, nr. 187, p. 53.), quis est qui probet? Jam, ne ab aliis disputata recoquamus, necesse non videtur, ut Herodotum ex itineribus Samum revertisse cum Jaegero statuamus: Athenis quin post Thurios conditos versatus sit, ex gravissimis argumentis jam non est dubium. Nec vero Jaegero et Heysio concedamus, aliquot demum annis post novam coloniam conditam Thurios se recepisse Herodotum: imo Plinii, Strabonis, Plutarchi, Suidae testimoniis insistentes eum coloniae deducendae socium fuisse, sed postero tempore itentidem opportunitate oblata ad visendas Athenas venisse, tenemus cum C. F. Hermanno V. Cl. in Baehr. Herod. t. II, p. 656 sqq. Thuriis mortuum esse Herodotum, Suidae testimonio et epigrammate apud Stephanum Byz. s. v. *Θούριος* videtur satis firmatum esse: cf. Heysium p. 79.

Alterum colonum Thuriis vindicare studuit Tzschirnerus Panyasin in diss. de Panyasidis Halicarnass. vita et carminibus, non ipsum quidem poëtam epicum, sed quem ab illo discernendum esse monuit, nepotem ejus, philosophum. Sed non ausi virum doctum sequi via nimis lubrica maluimus Suidae locum s. v. *Πανύασις*, quo potissimum ille nititur, cum Wesselingio et Heysio *Ἡρόδοτον* pro *Ἡρόδοτος* recribentibus ita intelligere, ut Panyasin Halicarnasso oriundum eodem modo a Duride Samium dici affirmet, quo Herodotus Thurini nomine gaudeat, patria et ipse Halicarnassensis.

Accedimus nunc ad Lysiam, et ipsum coloniae Thurinae socium. De quo vide Dionysii Hal. et Pseudo-Plutarchi ll. ll. p. 11. Profectus est Athenis patre jam mortuo (Plut. vit. Lysiae. Jo. Tzetzes jam Cephalum patrem Lysiae Thurinum dicit Chil. V, 345 sqq., cf. Taylori vit. Lys. Vol. VI. p. 104 Reisk.), vel cum duobus fratribus Polemarcho et

Euthydemo (Dionys. Hal.) vel cum uno Polemarcho (Phot. et Plut.), quindecim annos natus, ante bellum Peloponnesiacum anno duodecimo, archonte Praxitele. Quamquam dubitari potest, num ita certum habeamus, uti videtur Voemelio l. l. p. 5. not., Dionysium annos belli Peloponnesiaci inde a Pythodoro Archonte numerasse: imo aliud mihi persuadeat Judic. Isocr. t. V. p. 534.: ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσιμάχου, πέμπτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοπ. πολέμου, unde efficeretur ab Euthydemo inde Archonte Dionysium initium istius belli statuisse: sed parum differt, utrum sub finem Ol. LXXXIV, 1. an ineunte altero ejusdem Olympiadis anno, quod utrumque cadit in annum a Chr. 443, Lysiam Thurios venisse statuamus [13]).

Denique Andocidem quoque, inclytum illum oratorem, ex loco Plutarchi in vita Andoc. τὸν δῆμον δὲ Κυδαθηναιεὺς ἢ Θούριος, inter colonos fuisse conjecit Th. Bergkius l. l. p. 56. Sed vix crediderim Auctorem X vitarum de eo cogitasse: ex cujus verbis hoc patet, non satis constitisse de tribu Andocidis. Itaque aut legendum est cum VV. DD. Θορεύς (phyl. Antioch.), aut Θορικός (phyl. Acamant.).

De Hippodamo Milesio jam supra diximus: de Protagora alio loco agemus.

Caput III.

INCUNABULA CIVITATIS.

Eo tempore, quo oppressis Pythagoreis per omnes magnae Graeciae civitates maximae turbae exortae erant, et plerique omnes Graeci legatos suos ad conciliandam pacem eo miserunt, unius populi Achaeorum fide ac consiliis civitates usae sunt ad componenda, quibus urgebantur, mala: itidem aliquanto post communi omnes consensu Achaeorum reip. formam imitari decreverunt. Παρακαλέσαντες γὰρ σφᾶς, καὶ συμφρονήσαντες Κροτωνιάται, Συβαρίται, Καυλωνιάται, πρῶτον μὲν ἀπέδειξαν ΔΙΟΣ ΟΜΟΡΙΟΥ κοινόν ἱερὸν καὶ τόπον, ἐν ᾧ τάς τε συνόδους καὶ τὰ διαβούλια συνετέλουν, δεύτερον τοὺς ἐθισμοὺς καὶ νόμους ἐκλαβόντες τοὺς τῶν Ἀχαιῶν, ἐπεβάλοντο χρῆσθαι καὶ διοικεῖν κατὰ τούτους τὴν πολιτείαν. Polyb. II, 39. De templo Jovis Homorii (quod archetypum habuerunt Graeci Italiae)

---

13) Hoelscherus p. 21. Lysiam, inquit, usque ad Ol. XCI, 4. Thuriis magistratum gessisse. Tamen apud Dionysium nihil legimus nisi hoc: διετέλεσεν αὐτόθι πολιτευόμενος. Plut.: ἐπολιτεύσατο. — Lysiam c. Ol. LXXXVII, 2. Athenas venisse comprobat C. F. Hermannus in *Allgem. Schulz.* 1831. II, 82. p. 652.

s. Homarii s. Homagyrii cf. Schweigh. ad h. l. Paus. VII, 7. 24. cum interpp. Tittmann. *gr. Staatsverf.* p. 681. Wachsm. *hell. Alt.* I, 2, p. 321 sq. V. D. in censura libri: Merleker Achaicorum ll. III, in Zimmerm. *Zeitschr. f. d. Alt.* 1837, fasc. 10, nro. 127, p. 1039 sq. Achaeorum autem reipublicae formam tum non proprie ad popularem statum descriptam fuisse, sed in censu positam, qualem revera apud Italicas civitates invenimus, persuadebit tibi Od. Muellerus Dorr. II, 181. Sed qui fieri potuit, ut inter illas magnae Graeciae civitates Sybaris a Polybio recenseretur, quae aliquanto ante eas turbas eversa erat, necdum restituta? Vix quisquam praeter Heynium et Wachsmuthium hanc difficultatem tetigit, sed plerique incuriosius Polybium exscripsere, ut nuperrime V. D. in censura Merlekeri modo laudata p. 1035. Wachsmuthius autem l. l. conjecit, Scyllaceos illo loco pro Sybaritis reponendos esse, nequaquam probabile; nam difficile est ad dicendum, quomodo eas urbes confuderit librarius: Scylletium s. Scylaceum nunquam magnam nactum est dignitatem, ac plerumque Crotoniatarum ditionis fuerit, denique quod ceteris potissimum in causa fuit, cur Achaeorum instituta expeterent, originem dico Achaicam, in Scyllaceos non quadrat. Itaque hanc conjecturam missam faciamus. Heynius Opusc. II, 140 et 189. eo nititur, quod aliquanto post turbas Italicarum civitatum ab Achaeorum legatis pacatas eaedem civitates remp. Achaeorum imitatae esse dicuntur apud Polybium, et hoc posterius refert ad primos annos coloniae Thuriis conditae, de quo tempore haec Diodorus XII, 11: *καὶ πρὸς τοὺς Κροτωνιάτας φιλίαν συνθέμενοι καλῶς ἐπολιτεύοντο.* Quod quominus amplectamur, permulta nos deterrent. Namque mirum sane esset, si Diodorus sive quibus utitur auctores, de foedere inter Achaicas magnae Graeciae civitates icto et Achaicis legibus adoptatis cogitasset, quum illud scriberet *πρὸς τοὺς Κροτωνιάτας φιλίαν συνθέμενοι*: neque usquam ab eo inde tempore, quo Thurii conditi sunt, conventus Italiotarum ad templum Jovis Homorii mentionem fieri invenimus: deinde conjectura Heynii conciliari nequit cum narratione illa certissima, Thurios Charondae Catanaei legibus usos fuisse: inter tribus Thuriorum invenitur quidem Achais, sed certissime Achaei exiguam tantum novae civitatis partem constituebant, praesertim post Sybaritas expulsos, quorum fuga teste Diodoro foedus cum Crotoniatis pactum antecedit. Quaerimus igitur, unde Polybii error manaverit, de quo non diu dubitari potest. Etenim exstabat fere omnium magnae Graeciae civitatum foedus perantiquum, quarum conventus solemnes celebrabantur ad templum Junonis Laciniae. Ath. XII, 541, a. Mir. ausc. c. 99. Liv. XXIV, 3. Magnificentiam ejus templi laudibus illu-

strant Cic. de inv. II, 1. Val. Max. I, 8, 6. all. quos laudavit Micali l'Italia avanti etc. t. III, p. 264 sq. vers. francogall. Cf. Riedesel. p. 186. et Mém. de la Soc. de Cassel I, 67. Dionys. Perieg. 371: *ἔνθα κεν αἰπὺν ἴδοιο Λακινιάδος δόμον Ἥρης κ. τ. λ.* De antiquissimo Junonis Laciniae cultu cf. Serv. ad Virg. Aen. III, 552. Niebuhr. hist. Rom. I, p. 90. ed. 3. — Sybaritae et ipsi eam colebant: Ath. l. c. Plut. de sera num. vind. 12. ex emendatione Heynii *τῆς Λακινίας Ἥρας.* Huic foederi quum Sybaritani adjuncti essent, Polybius ad alterius quoque societatem falso, opinor, eos transtulit. Aliter Niebuhrius, qui hist. Rom. I, p. 167. Sybarim, Crotonem, Metapontum et colonias earum Posidoniam, Laum, Cauloniam, Terinam per multum temporis Achaico jure conjunctas fuisse suspicatur [1]).

Thurii novis colonis aucti statim Ol. LXXXIV, 1. cum Tarentinis [2]) bellum suscepere de Siritide terra, de qua priori tempore multum bellatum erat Tarentum inter et Sybarim: ac satis acriter utrique rem gesserunt, tamen nullam rem memoratu dignam accidisse tradit Diod. XII, 23. In eo bello Thurii duce usi sunt Cleandrida Spartano (Antioch. ap. Strab. VI, 404, ubi falso legitur *Κλεανδρίᾳ τῷ στρατηγῷ*; cf. Wessel. ad Diod. l. c. Eundem perverse Diodorus nominat *Κλέαρχον* XIII, 106.): qui quum Plistoanacti a consiliis fuisset, pecunia a Pericle corruptus mortem fuga evitans Thurios pervenerat. Plut. Per. 22. Thuc. VI, 104. Niebuhrium hist. Rom. III, p. 183. not. 89, falli, quum hunc Cleandridam eundem esse suspicetur, ac Leandridam Spartanum, quem in proelio ad Leuctra in Thebanornm exercitu fuisse memoriae prodidit Diod. XV, 54, jam Od. Muellerus notavit in *Goett. gel. Anz.* 1837, nro. 26. Eodem duce prospere pugnavere Thurii in bello contra Terinenses et Lucanos, quod circa idem fere tempus gestum esse consentaneum est; temporis enim notam non addidit, cui narrationem de his bellis debemus, Polyaenus Strateg. II, 10, §. 1. 2.

---

1) Clinias tyrannus Crotoniensium, quem Dionys. Halic. ante Anaxilaum Rheginum nominat Exc. p. 2358. Reisk., a Micalio (l'Italia avanti etc. III. p. 211.) circa tempora turbarum Pythagoricarum ponitur: sed vide prov. Bodleiana nro. 577, s. v. *Κήρινος θάνατος· Καινίας* (scr. *Κλεινίας*) *ἐν Κρότωνι τυραννίδα κατασκευασαμενος, περὶ τῆς ἀρχῆς ἀνηρώτα τὸν θεόν· ὁ δὲ ἀνεῖπεν, ὡς κήρινος αὐτὸν ἀναμένει θάνατος. Ἐκ δὲ τῆς Θουρίας δύο νεανίσκοι ἐπέστησαν γραμματίδιον ἀναδιδόντες, ἐν ὅσῳ δὲ λύων τοῦτο ἀνεγίνωσκεν ὑπ' αὐτῶν ἀνῃρέθη.* — Ad Sybarim restauratam Polybii locum refert Ullrichius p. 49.

2) Ita Diodori lectionem restituit Wesseling. ex argumento ejus libri, ubi legitur: *περὶ τοῦ γενομένου πολέμου Θουρίοις πρὸς Ταρεντίνους.* Codd. *Ἀκραγαντίνους* vel *Λεοντίνους* vel *Οὐεντίνους.*

4. 5. Duriora Lucanorum cum Thuriis reliquisque Italiae Graecis bella, quae his tandem exitium peperere, extra quaestionem nobis propositam jacent. Illo tempore quantum progressi fuerint Lucani, ipsum bellum Thuriorum cum Terinensibus declarat, unde sequitur, terram inter has duas urbes nondum ab iis occupatam fuisse.

Terina quum Crotoniatarum esset colonia, et Crotoniatae bello a Thuriis Terinensibus illato suam ipsorum ditionem viderent petitam, fortasse ad idem tempus referri poterit, quod de Pythagoreis Crotonem reducibus tradidit Jamblichus in vita Pyth. 35, §. 264.: *συνέβη δὲ τοὺς σωθέντας — ἐμβαλόντων τῶν Θουρίων* [3]) *κατὰ χώραν, ἐκβοηθήσαντας καὶ μετ' ἀλλήλων κινδυνεύσαντας ἀποθανεῖν*: sed difficile est, temporis rationem invenire, scriptoribus deficientibus.

Haec quum praeteriissent, circa finem Olympiadis LXXXIII per omnem Italiam communi omnes pace gaudebant, cujus jucundam descriptionem non possum non integram e Diodoro (XII, 26.) transcribere: *Ἡσύχαζε δὲ καὶ τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἔθνη καὶ Κελτικήν, ἔτι δ' Ἰβηρίαν καὶ τὴν ἄλλην σχεδὸν ἅπασαν οἰκουμένην. Διόπερ πολεμικὴ μὲν καὶ ἀξία μνήμης πρᾶξις οὐδεμία συνετελέσθη κατὰ τούτους τοὺς χρόνους· εἰρήνη δὲ μία συνετελέσθη, καὶ πανηγύρεις καὶ ἀγῶνες, καὶ θεῶν θυσίαι, καὶ τἄλλα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν ἀνήκοντα παρὰ πᾶσιν ἐπεπόλαζεν.*

Sed periculis extrinsecus nullis urgentibus, Thurii mox internis seditionibus divellebantur. Nam quum fere totius Graeciae colonia fuisset, magna dissidia inde sunt exorta, quod suae singuli patriae coloniam deductam adscribi jubebant. Atque omnium vehementissime Athenienses hanc sibi vindicare studuerunt gloriam, quum plerosque Athenis colonos venisse contenderent: nec minus Peloponnesi civitates de eodem disceptarunt, item reliquae. Incidunt illa in Ol. LXXXVI, 3. Tandem Apollini Delphico rem suam deferre decreverunt, qui se ipsum coloniae conditorem haberi jussit. Quo prior Thuriis concordia rediit [4]). Diod. XII, 35.

Anno sequenti una cum Tarentinis coloniam Heracleam deduxerunt, de qua v. caput proximum. Odia inter has civitates tunc pacata quomodo posteriori tempore resurrexerint, lege ap. Appian. Samn. 7, 1.

Jam supra aliquot illustres viros recensuimus, qui Thuriis novum domicilium posuerunt, Herodotum, Lysiam, Hippodamum; addendi sunt, de quorum in Thuriorum urbem adventu minus accurate tempo-

---

3) Legebatur *θηρίων*: emendavit Kusterus.

4) Errat Casaubonus, qui hanc seditionem a Strabone VI, 404. tangi opinatur.

rum ratio constat: Empedocles, Thucydides, Plesirrhous. Illum paulo post Thurios conditos eo venisse, tradiderat Apollodorus Grammaticus in Chronicis ex Glauco; ap. Diog. Laert. VIII, 2, 1.:

εἰς δὲ Θουρίους
αὐτὸν νεωστὶ παντελῶς ἐκτισμένους
Γλαῦκος — ἐλθεῖν φησίν.

Minus probatum est viris doctis, quod Timaeus prodidit, Thucydidem Olori f. Athenis exulem aliquantum in Italia habitasse (ap. Marcellin. vit. Thuc. p. VI Dind.) Accuratius ex vita Thucydidis ἀδεσπότῳ p. XV Dind. discimus, eum Sybarim concessisse (cf. Dodwell. Annall. Thucyd. p. 25.). Utrique narrationi VV. DD. fidem derogandam esse censuerunt, de origine tantum ejus fabulae minus consenserunt. Dahlmannus enim V. Cl. consulto eam fictam esse statuit, ut cum Herodoto Thucydides componeretur (*Herodot.* p. 215.): contra non fraudi, sed errori scioli cujusdam Thucydidem cum Herodoto confundentis illam tribuere maluit Poppo in Prolegg. ad Thucyd. Vol. *I*, p. 27, cui adstipulatur Heysius p. 69. Verum testimoniorum illorum patrocinium suscepit C. W. Kruegerus in vita Thucydidis p. 50-52. Sed rectiorem utique viam videtur indagasse Th. Bergkii ingenium, qui in commentatt. de reliquiis comoed. att. docet, quae in vita Thucydidis de causa Pyrilampi a Thucydide suscepta, de odio in Periclis imperium militare, deinde de secessione in novam coloniam narrentur, non ad historiarum scriptorem, sed ad Thucydidem Melesiae filium referenda esse. Bergkio igitur judicante Pericles ita instituit, ut cum primum colonia Thurios deducenda esset, Thucydides quoque acerrimus optimatium propugnator se ei adscisceret, fortasse in ducum numero. Ad hanc Thucydidis secessionem Bergkius Plutarchi vocem κατάλυσιν refert, vit. Per. 16. Reversus Thuriis a Xenocrito, qui et ipse coloniae dux fuerat, in jus vocatus decem annorum tulit exilium [5]). Omnino Thuriis tum perfugium invenere, quemcunque aut domesticarum rerum inopia, aut publica calamitas aut denique spes melioris conditionis patria sua expulit [6]):

---

5) In idem incidit S. W. Tromp. disp. de Pericle. Lugd. B. 1837. p. 27 et 152.

6) Jam pridem Italiae civitates Graecos continuis fere catervis affluentes liberaliter excipere solitae erant: et quot causae exstabant relinquendi quaerendique patriam! "Alios excidia urbium suarum, hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt: alios domestica seditio submovit: alios nimia superfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires, emisit: alios pestilentia, aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia ejecerunt: quosdam fertilis orae, et in majus laudatae, fama corrupit: alios alia causa excivit domibus suis." Seneca consol. ad Helv. 6, 11.

in quibus praecipue Athenienses multos fuisse, qui vel potentiam Periclis vel popularis imperii jam nimiam licentiam extimescerent, sententia est Bergkii verissima. Inprimis Alcibiadem tributa sociorum exaggerantem horum multis causam fuisse Thurios migrandi testatur Andocides contra Alcib. c. 12. Posteriore tempore eadem hospitalitate Thurii Dorieum et Pisirrhodum Rhodios exceperunt (v. infra); deinde Leptinem et Philistum, a Dionysio Syracusis pulsos Ol. XCVIII, 3. Leptini tum retulerunt humanitatem quatuor annis ante iis praestitam: v. Diod. XIV, 100. XV, 7. De Plesirrhoo audiamus Ptolemaeum Hephaestionis f. ap. Phot. cod. 190, p 148. Becker.: Πλησίῤῥοος ὁ Θεσσαλὸς ὁ ὑμνογράφος, ἐρώμενος γεγονὼς Ἡροδότου καὶ κληρονόμος τῶν αὐτοῦ.

Thurii quum ex tota fere Graecia conflati essent, Athenas tamen praecipue ut matrem ab iis cultam esse, vel numi demonstrare possunt Minervam praeferentes v. O. Muell. *Handb. d. Arch.* p. 537. cf. etiam Diod. XII, 35. Quum vero non solis Atheniensibus originem suam deberent, imo de eo decertaretur, cui potissimum civitati ea colonia adscribenda esset, non ea Athenas inter et Thurios conjunctio atque necessitas intercessit, qua decebat matrem a filia coli, v. Wachsm. *hellen. Alterth.* I, 2, p. 40 - 42. Quanquam enim ejus conjunctionis rationem in diversis coloniis accepimus diversissimam, tamen nonnulla constat omnibus coloniis in hoc communia fuisse: et ne haec quidem Thuriis observata. In his ante omnia nominandum est, quod, quum bellum inter coloniam ejusque matrem nisi insigni aliqua injuria aut necessitate cogerentur, injustum atque indecorum haberetur, Thuriis non alia causa fuit ab Atheniensium partibus deficiendi, quam eorum ad Syracusas calamitas, cujus ipsi socii fuerant. Quippe paulo post urbem constitutam tantum viribus suis fidebant, ut etiam sine Atheniensium ope vicinarum civitatum invidiam non horrerent: atque quam egregie ipsi se sustinuerint, declarant numi haud rari, in quibus vel Victoria conspicitur taurum coronans (ap. Rasch. p. 1154, 13. 1155, 22. 1158, 20 sq. 1160, 47. 1161, 69.), vel noctua coronam tenens (p. 1157, 53.), vel Victoria Palladem lauro redimiens (Magnan. misc. num. I, tb. 47, X.), vel protoma Victoriae alatae (Rasch. p. 1162, 14.).

Denique nonnulla dicenda sunt de Sybaritis, qui cladi superstites Ol. LXXXIII, 4. ex urbe in confinia agri Crotoniensis et Thurini confugerant, ubi prope Train s. Traentem fluvium consederunt[7]). In his

---

7) Sybaritis ad Traentem habitantibus Ullrichius p. 58. numos tribuit Palladis capite signatos eosdemque Sybaritarum nomine inscriptos: Athenienses enim etiam in illos momentum habuisse statuit. Non probo.

4

locis oppidum ab iis conditum esse, cui nomen Sybaris indiderint, atque in Strabone l. VI, 404 legendum esse τὴν ἐπὶ Τράεντος Σύβαριν, conjectura est Niebuhrii Hist. Rom. I, p. 99 sqq. Ad hujus urbis eversionem idem jubet referri, quod in oraculo ap. Plut. de sera num. vind. 12. triplex exitium deus minatur Sybaritis. In loco Strabonis libri habent τὴν ἐπὶ Τεύθραντος Σύβαριν, quod ferri non posse videbatur. Nam de fluvio Teuthrante a Propertio I, 11 (12), 11. memorato hic cogitandum non esse, jam Casaubonus vidit. Xylandro, quum Strabonis verba haec sint: τινὲς δὲ καὶ Ῥοδίων κτίσμα φασὶ καὶ Σειρῖτιν καὶ τὴν ἐπὶ Τεύθραντος Σύβαριν, Teuthras vir Rhodius videbatur, quod merito nullius virorum doctorum assensum tulit. Sed ne Niebuhrii quidem conjectura nobis probatur: cui quamvis id subvenire videatur, quod fluvii Traentis nomen etiam apud Jamblichum §. 260. perverse scriptum legebatur (Τεθράεντα, quod ex Diod. XII, 22. correxit Bentlejus opusc. p. 192. ed. Lips.), vehementer tamen obstat, quod hanc urbem, quae a Sybaritanis Ol. LXXXIII, 4. demum condita et paulo post a Bruttiis funditus eversa est, nemo facile Rhodiis tribuit, quorum in has terras navigationes nonnisi aliquanto ante veterem Sybarim memorantur. Itaque magis arridet emendatio Falconeri p. 380.: τὴν ἐφ' Ὑδροῦντος Σύβαριν, i. e. Sybarim Pausaniae, quam supra p. 6. commemoravimus, postea Lupiam appellatam. Neque enim videtur opus esse, ut Copiam cum Lupia a Pausania confusam esse et Messapiae Sybarim plane fictam statuamus [8]). Hydrus autem portus (Scylax p. 11. cf. Mannert. IX, 2, p. 41.) optime eligitur ad significandam alteram illam Sybarim: fortasse tamen nihil mutandum est, atque Teuthras amniculus Sybarim alteram praeterfluxit, aliunde nobis non notus [9]). Sed redeamus ad Sybaritas ejectos, qui postquam aliquantum temporis (χρόνον τινα) ad Traentem habitarunt, a Bruttiis oppressi sunt. Diod. XII, 22. Bruttios enim, quos Ol. CVI. demum in unam gentem coaluisse tradiderunt Diod. XVI, 5. et Strabo VI, 392, diu ante illam Olympiadem exstitisse, tum Βρεττία πίσσα (ex emendatione Bocharti pro γλῶσσα) Aristophanis ap. Steph. s. v. Βρέττος comprobare possit, ubi propter illos Diodori et Strabonis locos eraso Aristophanis nomine Aristophontem substitutum esse a quibusdam, jam Wesselingius ad Diod. XII, 22. reprobat, tum certissime ea con-

8) Quod autem de thesauro Sybaritanorum Olympiae exstructo dicit Pausanias, ea haud dubie perperam ad Sybarim ad Hydruntem sitam retulit.

9) Lupiam nunquam Sybarim appellatam fuisse contendit Ullrich. p. 14 sqq.: Strabonis locum habet interpolatum.

firmant, quae Niebuhrius egregie de Bruttiorum origine disputavit hist. Rom. t. I, p. 67 et 103. Cf. Mannert. IX, 2, p. 117 sqq., qui maximam ejus colluviei partem ex Italis olim Sybaritarum imperio subjectis constitisse non sine veritatis specie judicat.

Caput IV.
DE COLONIIS, QUAE THURIORUM DICUNTUR.

Metaponti collocatam esse Thuriorum coloniam voluerunt V. Cl. Heynius et R. Rochettius, hic quidem leviori ratione ita argumentatus, ut artem criticam vehementer desideres. De Metaponti originibus quae Heyn. Opusc. II, 206 sqq. Rochett. II, 53. 59. 211 sqq. disputarunt, omittentes nunc brevitatis studio delegamus ad O. Muellerum, qui his rebus demum lucem affudit Orch. 99. 401. Dorr. I, 264. et in censura libri: Metaponte par le duc de Luynes et Debacq, in *Goett. gel. Anz.* 1837, nro. 4. Statim transeamus ad locum Strabonis VI, 406.: qui ubi Metapontum a Samnitibus [1]) excisum commemoravit, sic pergit ex Antiocho: Achaeos locum vastatum incoluisse (a Sybaritis accitos, quod nonnulli addunt): hos autem accitos esse propter Achaeorum ex Laconia pulsorum in Tarentinos odium, ne ii ipsi locum vacuum occuparent [2]). In quo plane non video, quid Heynium induxerit, ut haec non Sybaritas, sed Thurios spectare statueret p. 210. De Sybaritis Thuriorum urbe ejectis quominus cogitemus (id quod insinuavit C. Fr. Hermannus in antt. graec. publ. §. 80, not. 25, p. 173. ed. 2.), prohibet Diodorus XII, 22., qui ad Traentem fluvium illos consedisse memorat, neque id videtur Heynius voluisse: in Thurios autem ipsos Strabonis verba minime quadrant [3]). Multo minus vero assequor, quid Rochettius de Achaeorum colonia Cleandrida duce ex Peloponneso advecta

---

1) Sed Samnites (sine dubio Lucani intelligendi, qui ad eam gentem pertinuere) tum ad eas terras jam penetrasse vix credere licet, cf. Nieb. hist. Rom. I, p. 99 sqq.: num forte legendum *Δαυνιτῶν?*

2) Antioch. ap. Strab. l. l.: *δυοῖν δ' οὐσῶν τῶν πόλεων τῶν Μεταποντίων ἐγγυτέρω τοῦ Τάραντος, πεισθῆναι τοὺς ἀφιγμένους ὑπὸ Συβαριτῶν, τὸ Μετ. κατασχεῖν.* Inde fortasse fluxit, quod Steph. Byz. s. v. et Eust. ad Dionys. Perieg. 368. Metapontum aliquando Sirim appellatam tradunt. Locum ita restituit Cluverus It. ant. p. 1278.: *τῶν πόλεων τῆς Σίριδος καὶ τοῦ Μεταποντίου ἐ. Τ.* Mazocchius: *τῶν Μεταποντίων καὶ τῶν Σιριτῶν.*

3) Restitutos Sybaritas Metaponti occupationem tentasse sibi persuasit Ullrich. p. 51 sqq. rationibus non ita levibus.

fabulatus sit t. IV, p. 39. Idem mirum in modum Daulium Crissaeorum tyrannum ad hoc ipsum tempus (Ol. LXXXIV.) refert: nam ignoramus quidem, quod tempus spectaverit qui de Daulio Metapontinorum conditore scripsit Ephorus (ap. Strab.), quamquam probatum habemus, eam aetatem significari, qua Phocenses oraculi Delphici custodiam tenebant: Daulium autem sive coloniae ducem tenemus, sive cum Muellero omnino Daulidenses viro illo significari suspicamur, Crissae tyrannum Thuriis aequalem Ephorus commemorare non potuit, quum Crissam s. Cirrham compertum habeamus jam Ol. XLVII. solo aequatam esse. Cf. Paus. X, 37. Orch. p. 495. Herm. antt. graec. publ. §. 13, not. 6.

Altera colonia, quae non majori jure Thuriis vindicatur, est Elea, antea Ὑέλη, postmodum Velia nominata. A Phocaeensibus eam conditam esse, consentientes veteres declarant. V. Herod. I, 167. Strab. VI, 388. Suid. s. v. Thurinae coloniae eo deductae solus auctor est Scylax p. 340 Gail., qui locus si recte sese haberet, non esset ei fides temere deneganda, quum sciamus, hunc geographum prorsus antiquioribus testibus niti: cf. Dodwell. in Gailii geogr. min. t. II, p. 248 et 252. Nieb. hist. R. I, 20. Verba haec sunt: ἐν αὐτῇ (Λευκανίᾳ) πόλεις εἰσὶν ἑλληνίδες αἵδε· Ποσειδωνία, καὶ Ἐλαα Θουρίων ἀποικία, Πανδοσία κ. τ. λ. Ἐλαα quum ferri nullo modo possit, Cluvero Ἔλεα sub hac voce latere videbatur: sed de colonia Thuriorum Veliam deducta ex nullo alio loco constat: neque speciem probabilitatis habet. Sybaris quidem cum constitit, ad eas terras potestatem suam extenderat, atque in loco Velia etiam superiore Posidoniam condiderat: sed post Sybaris excidium Micythus Rheginus colonos Buxentum duxit (Ol. LXXVII, 2.), quo facto Thurii Veliam colonis frequentare nequaquam potuerunt. Itaque vix dubitari potest, quin a vero propius absit Gailius, conjiciens Λάος, Θουρίων ἀποικία, i. e. Sybaritarum; omnem difficultatem sustulit O. Muellerus, cum scripsit Ἐλέα, Λαὸς Θουρίων ἀποικία, in *Goett. gel. Anz.* 1832, nro. 203.

Tertia colonia, quam Thuriis jamdudum eripuere VV. DD., est Nola Campaniae. Etenim Solinus II, 16. haec habet: *Nola a Tyriis* (constituta). Quod quum emendationem videretur requirere, Salmas. ad Solin. p. 72. scripsit: a Thuriis. Sed plane eadem huic emendationi refragantur, quae supra contra Veliam Thuriorum coloniam adnotavimus. Nec quisquam Salmasium sequutus est. Lipsius ad Vellej. I, 7. maluit Tyrrhenis, probante Niebuhrio I, 75. O. Muellerus, nec ipse hanc emendationem plane rejiciens, proposuit legendum esse: a Styriis (de quibus Paus. IV, 34. V, 23.). Etr. I, 166.

Una igitur urbs jam restat, quam certo scimus a Thuriis colonos accepisse, Heraclea, haud procul a Siride in ejus locum constituta. De prioribus Siridis incolis (cujus initia ad antiquissima tempora ascendunt: v. Nieb. hist. Rom. I, 51.) fusius veterum testimonia perscrutati sunt Mazocch. tab. Heracl. et Heynius opusc. II, 235 sqq.: nobis hic quoque satius visum est calamum restringere. Pauca hic moneamus quae nobis inciderunt: primum, Palladium Siride, ut multis aliis locis, ostentatum fortasse fabulae de Trojanis advenis originem dedisse: deinde temere ad Iones translata esse a Lycophrone (quorum adventum ex Archilocho ad Gygis tempora retulit Niebuhr. I, 66.), quae de flagitiis a Metapontinis, Sybaritis, Crotoniatis in expugnatam urbem historico tempore commissis comperta habemus ex Justino XX, 2. [4]). Posteriori tempore odium Tarentinorum ex continuis fere bellis de Siritide terra in Sybaritanos conflatum in Thurios transiit, qui duce Cleandrida exule Spartano bellum contra illos gesserunt [5]). Idem Cleandridas videtur coloniam Heracleam deduxisse (Dorr. II, 211.), quam Thurii pace cum Tarentinis pacta una cum iis condiderunt, adscriptis Siritidis agri incolis, Ol. LXXXVI, 4. Siris autem navale Heracleae factum est. Strabo VI, 405, Diod. XII, 36. Urbs constituta est viginti quatuor a Siride vetere stadia secundum Strabonem, secundum tabulam Peutingerianam quatuor milliaria a fluvio Siride distans, quem urbs Siris attigit. Locus hodie Policoro dicitur, ubi Heracleam olim sitam fuisse putant. Craven. l. l. p. 203.

Thurii statim ab initio concessere, ut ea colonia Tarentinorum haberetur (Strabo l. l.): id quod vel nomen ab heroe Tarentinis culto [6]) ductum confirmat. Unde hoc quoque probabile fit, novae civitatis instituta Tarenti exemplum sequuta esse. Cf. Mazocch. ad tab. Heracl. prodr. diatr. II. de Heraclea et vicinia p. 64 sqq. Heyn. p. 244 sqq.

Itaque Herculem imprimis ab iis cultum esse, praeter ipsius urbis nomen numorum Herculis specie ornatorum docet ingens numerus: qui ibidem Palladis cultum floruisse declarant, quem quod a Thuriis,

---

4) Etiam hanc Sybaritarum contra Sirim expeditionem, quippe de qua nil praeterea alius scriptor protulerit, plane negat et ad mythica tempora removet Ullrich. p. 27. Crotoniatarum ad Sagram cladem, cui Siris deleta paulo antecedit, ab Heynio II, 184 sqq. (cf. Krisch. soc. Pyth. p. 19.) recte ante Olympiadem LV. positam esse, teneo contra Niebuhr. hist. Rom. III, 602.

5) Thurii quum Siritidem tentarent ad Iones terram illam olim occupantes videntur provocasse, ut maximam partem Athenis profecti Ionibusque igitur illis cognati. v. Herod. VIII, 62.

6) Virg. Aen. III, 551. Herculeum Tarentum. Cf. Heynii Exc. XIV.

quam ab antiquioribus incolis repetere maluit Heynius p. 245., not. *a*, sine dubio rectissime fecit. Dionysium a Tarentinis acceperunt. Quae de forma reipublicae Heracleensis ex tabulis Heracl. discimus, ad liberum ejus urbis statum pertinet, nec satis liquet, quantum eorum statim eo tempore, quo colonia constituta est, valuisse statuendum sit. Legimus summum magistratum fuisse penes Ephorum eponymum, singulis annis delectum: inferiores magistratus commemorantur Polianomi, quos cum praefectis urbanis Romanorum contendunt, et sitagertae, utrique et ipsi annui: itidem ex tabulis docemur, populi fuisse comitia (*κατάκλητος ἁλία*) et distributionem in tribus sive phylas. Quae posteriori tempore fata obierit Heraclea, enarrare a consilio nostro abhorret: florentissimum ejus statum cognoscimus ex egregiis conditionibus, quibus Romanorum imperio se subdidisse dicuntur Heracleenses (ap. Cic. loco a Niebuhr. laud. or. pro Balbo 22.).

CAPUT V.
THURII BELLI PELOPONNESIACI PARTICIPES.

Belli Peloponnesiaci singula persequi quum a nostro loco alienum sit, solum id spectabimus, quas per hoc bellum Thurii partes sustinuerint, ita ut simul ceteras Magnae Graeciae urbes respiciamus. Et cum Rheginis quidem jam Ol. LXXXVI, 4. pristinum foedus redintegrasse Athenienses, testatur inscriptio apud Boeckh. C. I. p. 110. nro. 73.: Lacedaemonii autem iis civitatibus, quae per Italiam et Siciliam ipsis favebant, naves imperarunt pro magnitudine singularum, ita ut quingentae omnino sibi praesto essent, atque ab iisdem pecuniam ratam sibi parari jusserunt. Thuc. II, 7. (Ducentas triremes habet Diodorus XII, 41.) Thurii tum certe Atheniensibus auxilia non videntur suppeditavisse. Cf. Thuc. l. c. (*'Αθηναῖοι δὲ — ἐς τὰ περὶ Πελοπόννησον μᾶλλον χωρία ἐπρεσβεύοντο*). Omnino totius belli, quod Archidamicum vocant (Ol. LXXXVII, 2. usque ad LXXXIX, 4.), Thurii expertes fuere. Nam vinculo satis laxo eos cum Atheniensibus junctos fuisse, jam supra vidimus: itaque inter reliquorum Graecorum calamitates ea requies iis contigit, qua post turbulenta civitatis suae initia vires suas propitio numine foverent atque eximiis legibus corroborati amplificarent. Certe nihil traditum est, quo per hos annos sive intus sive ab exteris status eorum turbatus sit. Italiam quidem bellum jam Ol. LXXXVIII, 2. tetigit, quum Leontinis contra Syracusanos auxilia miserunt Athenienses: apertis quippe auribus preces cognatorum audiverant,

spe majora potiundi vehementer incitati [1]. Thuc. III, 86. cf. I, 44. VI, 1. Diod. XII, 54. Plut. Alc. 17. Locri Epizephyrii Syracusis, Rhegini chalcidicis Siciliae urbibus socios sese adjunxerant: sed haud multo post quam cum Rheginis conjuncti arma intulerunt Athenienses Locrensibus et Doriensibus Siculis, Ol. LXXXIX, 1. pace inter Siciliotas restituta tota classis Athenas reverti coacta est. Thuc. III, 86. - IV, 65. Diod. l. l. Ad superiorem magnam Graeciam hoc bellum omnino non pertinuit. Phaeax Ol. LXXXIX, 3. in Siciliam missus propter discordias Leontinorum in itinere nonnullas Italiae civitates adiit, quibuscum de foedere cum Atheniensibus ineundo ageret (Thuc. V, 5.): in quo num Thurios quoque viserit, vestigia nulla declarant.

In altera parte belli Peloponnesiaci, quos numerant annos inde ab Ol. LXXXIX, 4. usque ad XCI, 4., maximi omnium momenti est expeditio Atheniensium in Siciliam facta. Et tunc quidem coepere Thurii et ipsi partes suas in eo bello agere, cujus antehac desides spectatores fuerant. Aestate anni secundi Olymp. XCI. Atheniensium sociorumque naves centum triginta quatuor (Thuc. VI, 43.: centum quadraginta exhibet Diodorus) Corcyra solverunt. Tres naves praemiserant exploraturas, quae se excepturae essent per Italiam et Siciliam civitates. Ac specie quidem venerunt vocati a Segestanis et Leontinis contra Selinuntios et Syracusanos, re vera autem a Sicilia subjicienda initium coepturi subigendorum Italiotarum, tentandi Carthaginiensium imperii, et quae alia deinde leguntur Thuc. VI, 90. cf. Plut. Alc. 17. Plurimi eorum, qui bellum decreverant, statum Sicilicarum civitatum ipsiusque insulae magnitudinem plane ignorarunt. Thuc. VI, 1. Prior illa expeditio Ol. LXXXVIII, 2. suscepta populum Atheniensem, quippe cui adulantes concionatores facile imponerent, rectiora non docuerat. Nam poenas tum sumserant a Pythodoro, Sophocle, Eurymedonte, quum classem reducerent, *ὡς ἐξὸν αὐτοῖς τὰ ἐν Σικελίᾳ καταστρέψασθαι δώροις πεισθέντες ἀποχωρήσειαν.* Thuc. IV, 65.

Classem Italiae oras praetervehentem nulla illarum civitatum excepit, imo Tarentini et Locrenses etiam aquam recusarunt et vetuerunt naves terram appellere. Thuc. VI, 44. Sed Thucydide hic accuratiorem invenimus Diodorum: nam quum Thucydides nullam omnino ur-

---

1) Id quoque Athenienses spectasse, ut sociis auxiliisque externis Peloponnesios intereluderent, monet Vischerus in *Schweiz. Mus.* I, 4, p. 375.: *Daher, zum Theil wenigstens, selbst die erste Unternehmung gegen Sicilien, denn die Peloponnesier bezogen ihr meistes Getreide von dieser Insel: — um so bedeutender, da der Pontos, die eigentliche Getreidekammer des damaligen Griechenlands, den Peloponnesiern ganz verschlossen war.*

bium Italicarum Atheniensibus frumentum urbisque adeundae facultatem praebuisse narraverit, Crotoniatae auctore Diodoro frumentum iis praestiterunt (quod sane mirum est: nam Croton procul dubio Lacedaemoniorum partes in hoc bello sequebatur): verum Thurios quum appulissent Athenienses, summa benevolentia excepti sunt (πάντων ἔτυχον τῶν φιλανθρώπων Diod. XIII, 3.). Neque tamen jam tunc videntur Thurii foedus armorum cum Atheniensibus junxisse. Rhegii deinde requieturi quum ne ibi quidem in urbem admissi essent, extra eam castra posuerunt. Sed Rheginis persuadere non potuerunt, ut expeditionem in Siciliam sequerentur, quippe qui negarent se quidquam nisi consilio aliorum Italiotarum cognito suscepturos esse: ii autem rerum in Sicilia gerendarum eventum exspectandum esse censuerunt. Certo tamen falleremur, si Magnae Graeciae civitates illo tempore foedere junctas fuisse propterea statueremus.

Inde quum vix classis Siciliam petiisset, famosa Salaminia navis missa est Athenis, quae Alcibiadem graviter accusatum in jus vocaret. Qui domum redire non ausus Thuriis, quo nautae appulerunt, et ipse effugit, ut qui cum eo sibi timebant: unde paulo post in Peloponnesum trajecerunt. Thuc. VI, 61. 88. Diod. XIII, 5. Plut. Alc. 22. Aelian. V. H. XIII, 38.

Interea Syracusani, ubi infeliciter cum Atheniensibus pugnavere, Corinthum et Lacedaemonem legatos miserunt auxilii expetendi causa: qui in itinere Italiae civitatibus, quas praetervehebantur, persuadere studuerunt, ut Syracusanis opitularentur. In quo haud dubie Thurios quoque tentarunt, quos deinde Gylippus et ipse ut Spartanorum sociis se adsciscerent permovere conatus est. Sed quamquam Gylippus patris Cleandridae eos commonefecit, quo duce prospera bella gesserint adversus Tarentinos, Lucanos, Terinenses, tamen re infecta Thuriis discessit Ol. XCI, 3. medio anni tempore. Thuc. VI, 104. Sed postquam Syracusas venit, fere universa Sicilia partibus ejus accessit, quo factum est, ut Atheniensium status in dies decresceret. Eurymedon iis sub finem ejusdem anni (περὶ ἡλίου τροπὰς τὰς χειμερινὰς) decem naves domo adduxit, major etiam classis parabatur (Thuc. VII, 16.), quacum Demosthenes vere anni quarti Olympiadis XCI. Aegina solvit. Thuc. VII, 26. At Thurii non communi omnium consensu Gylippum rejecerant: factionibus enim cives distendebantur, quarum altera Atheniensibus favit, Spartanis altera. Casu quodam prohibitum est, quominus jam tum Thurii in Lacedaemoniorum partes transirent: fallebantur enim de numero navium, quas Gylippus secum duxit: sin compertum habuissent, classem ejus haud exiguam esse, procul dubio factio Athenis adversaria

Gylippum excitasset, cujus ope alteram opprimeret. Sed quum ea occasio praeteriisset, Atheniensium factio, quae validior esset, adversarios urbe expulit paulo ante Demosthenis in eas regiones adventum. Itaque quum hic cum Eurymedonte classem eo appulisset, facile Thuriis persuaserunt, ut foedus cum Atheniensibus paciscerentur, atque eosdem cum illis inimicos amicosque haberent. Deinde ubi aliquot dies exercitus recensendi causa ibi commorati sunt, iter in Siciliam perrexerunt: Thurii iis septingentos pedites gravis armaturae, jaculatores trecentos addiderunt; jaculatorum eundem numerum cum duabus navibus acceperant a Metapontinis. Usque ad Crotoniatarum fines exercitum terra duxerunt navibus praeter oram vehentibus: Crotoniatae autem quum terram suam eos transire vetuissent, ad Hyliae fluvii ostium naves conscenderunt ac brevi itinere in Siciliam pervenerunt. Thuc. VII, 33. 35. 57. Diod. XIII, 11.

Jam vero non est in animo immensas calamitates, quas ad Syracusas Thurii cum Atheniensibus perpessi sunt, ex Thucydide (VII, 42-87.), Diodoro (XIII, 11-33.), Plutarcho (vit. Niciae c. 21 - fin.) describere. Syracusani postquam reliquias exercitus Atheniensis tandem universas ceperunt, duces quidem supplicio affecere, ex ceteris Athenienses, Italiotae, Siciliotae in latomiis vitam finierunt, reliqui septuaginta fere dies ibi occlusi tenebantur, deinde in servitutem venditi sunt. Thuriorum cum Atheniensibus necessitatem ea clades omnem penitus dissolvit. Factione Atheniensibus adversaria post fractas illorum in Sicilia fortunas rerum potita trecenti ἀττικίζοντες urbe sunt expulsi, inter quos Lysias orator. Factum hoc est Ol. XCII, 1. archonte Callia, sub finem hujus anni, ergo a. Chr. 411., nam Lysias ubi Athenas venit, penes quadringentos ibi imperium fuit. Dionys. H. Jud. Lys. vol. V, p. 453. Reisk. Plut. vit. Lys. vol. VI, p. 111. Hoelscher vit. Lys. p. 21. Plutarchum et Photium, qui Lysiam μετ' ἄλλων Γ' (facili errore pro T') ejectum esse tradiderunt, jam Taylorus emendavit. Expulsos probabile est maximam partem Athenas se contulisse: in Volcentium agro eos consedisse atque vasa recentiori tempore ibi reperta iis deberi suspicatus erat Hirtius: v. de hac re O. Mueller. in *Gött. gel. Anz.* 1835. nr. 116. *Handb. d. Arch.* §§. 99. 257. Ne Herodotum quidem Thuriis tunc remansisse, verisimile est C. F. Hermanno ap. Baehr. Herod. t. II, p. 661.

Quo tempore Thurii Lacedaemoniorum societatem amplexi sint, non satis constat. Initio anni a. Chr. 411, vel sub finem anni 412, igitur Ol. XCII, 1. videntur Dorieum Rhodium cum decem navibus misisse. Dorieus enim Rhodius, Diagorae filius, cum ejusdem nepote

Pisirrhodo ex filia Pherenice ab Atheniensibus, qui populari factioni subveniebant, Rhodo pulsus Thurios venerat atque civitatem nactus erat: uterque Diagorides Thuriis eam hospitalitatis gratiam retulerunt, ut Olympia victores Thurii renunciarentur [2]). Paus. VI, 7.

Dorieus igitur Thuriis persuasit, ut desertis Atheniensium partibus naves sibi committerent, quibus Rhodum redux, quae Ol. XCII, 1. Spartanis se adjunxit, Athenienses impugnaret. Dorieus autem jam antequam haec in insula Rhodo evenerunt, cum navibus Thurinis ad Lacedaemoniorum classem profectus est: nam secundum Thucydidem (VIII, 35 sq. 44.) ordo rerum gestarum hic est: Hippocrates Lacedaemonius cum decem navibus Thurinis, quibus Dorieus praeerat, Cnidum tendit (τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος); Peloponnesii alterum foedus cum Tissapherne ineunt (ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον); a Cnido insula Rhodum navigant (ἐν τῷ αὐτῷ χειμῶνι). Decem Thuriorum navibus additae erant tres ab aliis Italiae civitatibus (Diod. XIII, 38.).

Rebus in Rhodo peractis quinque naves Thurinae cum Dorieo redierunt ad Lacedaemonios, quibus custodia Mileti tradita erat; ibi certe eas stetisse legimus cum quatuor Syracusanis aliisque Lacedaemoniorum sociis ineunte altero anno Olymp. XCII. Thuc. VIII, 61. In eadem statione sub finem ejusdem anni Thurii et Syracusani turbas excitarunt Lacedaemoniis ob stipendii procrastinationem, ipsi duci Astyocho mortem minitantur, qui Dorieo sceptrum intenderat. Mox tamen sedantur. Thuc. VIII, 84.

Paulo post Mindarus Astyochi loco imperium suscepit (Thuc. VIII, 85.), qui Dorieum cum tredecim navibus Italicis Rhodum misit, ubi nonnulli, popularium partium haud dubie fautores, novis rebus studebant. Diod. XIII, 38. Pace ibi restituta, Dorieus, ναύαρχος ὢν τῶν ἐξ Ἰταλίας τριηρῶν, in Hellespontum tetendit ad Mindarum, qui tum juxta Abydum subsistebat (ἀρχομένου χειμῶνος. Xen. Hell. I, 1. 2., qui quatuordecim naves Dorieo tribuit. Ex eo corrigendus Diodorus,

---

2) Boeckhius V. Cl. in explicatt. ad Pind. Ol. VII, t. II, 2, p. 167. c. Ol. 88. putat Doreium et Pisirrhodum Thurios concessisse, neque illa aetate Thurios paruisse Atheniensibus, quos quum Diagoridae fugerent, necesse sit, tum tandem Thurios migrasse Diagoridas, quum Thurii ab Atheniensibus defecissent. Certe quod Thuriorum ab Atheniensibus defectionem attinet, mihi non idem videtur: potius nullas omnino tum Thurii partes gerebant in eo bello: atque necessitatem Thuriorum cum Atheniensibus adeo non arctam fuisse vidimus, ut minime necesse sit cogitare, quando Diagoridae ab Atheniensibus Rhodo pulsi Thurios venerint, tunc Atheniensium factionem Thuriis suppressam fuisse.

qui XIII, 45. ad Ol. XCII, 3. refert cf. Thuc. VIII, 103 sqq.). Quum jam prope Sigeum esset Dorieus, speculator diurnus Atheniensium, qui ad Sestum morabantur, iis signum dedit, quo facto viginti Atheniensium naves adversus eum provectae sunt (Sic Xenophon l. l.; secundum Diodorum tota classis navium quatuor et septuaginta contra eum movit). Dorieus in fugam conversus ad Dardanum naves subduxit (Diod. — Ἀνεβίβαζε τὰς ἑαυτοῦ τριήρεις, ὡς ἤνοιγε περὶ τὸ Ῥοίτιον. Xen.). Eo quum venissent Atheniensium triremes, de navibus ac terra pugnatum est, donec Athenienses re infecta Madytum ad classem se recepere. Mindarus autem Dorieo auxilio adnavigavit, atque acerrimum proelium inter Lacedaemonios et Athenienses commissum est et sequenti die redintegratum; ex utroque duobus deinceps diebus victores discesserunt Athenienses. Quot Thuriorum naves ei cladi superfuerint, nescimus: nulla inde Thuriorum in Peloponnesiorum classe stipendia facientium fit mentio, usque ad Ol. XCIII, 2. Eo anno Phanosthenes Atheniensis in Andrum iter faciens (in Cononis locum cum quatuor navibus eo missus) in Thurinas triremes duas incidit, quibus Dorieus Rhodius praefuit: fortasse hae solae cladem prope Κυνὸς σῆμα superaverant. Utraque navis ab Atheniensibus capta, milites in vincula conjecti, Dorieus ipse Athenas pertractus. "Athenienses autem, qui ante vehementi ira impulsi extrema omnia illi fuerant comminati, simul atque in concionem captivi habitu productum conspexerunt, tanti viri, et cujus nomen tam insigni gloria fuisset, miseratione adducti, conversa ad mansuetudinem sententia, incolumem et impunitum dimiserunt, quum tamen multas haberent justi in eum odii causas." Paus. VI, 7. Minus diligenter Xenophon haec narravit Hellen. I, 5, 11., non Athenas perductum, sed statim a Phanosthene dimissum Dorieum exhibens. Addit nonnulla Pausanias ex Androtione de extremis Doriei casibus, quae tamen addubitat O. Muellerus Dorr. II, p. 148. not. 3.

In Sicilia interea acriter bellatum est Dionysium inter et Carthaginienses, a quibus vehementer ille pressus, postquam diu recusavit quin Italiotarum auxilium expeteret (Diod. XIII, 92.), tandem ut Graeci Italiae sibi opem ferrent rogare coactus est. Diod. XIII, 109. Nec diu Italiotae, qui ei auxilio venerant, in Sicilia substitere, sed clade accepta et ob alias insuper causas in Dionysium incensi eodem anno domum redierunt. Diod. XIII, 112. Conjicio, Thurios et ipsos ejus expeditionis socios fuisse et nonnullos eorum post Italiotarum discessum apud Dionysium remansisse: fuerit in his Archylus, cujus aliquot annis post (Ol. XCV, 4.) de Dionysio in expugnanda Motya urbe merita enarravit Diodorus XIV, 52. 53.

Thuriis societatem cum Lacedaemoniis junctam causam fuisse formae reipublicae mutandae non putaverim: Dorieo defuncto ac fortasse jam duabus illis navibus, quas solas cladi Lacedaemoniorum superfuisse suspicati sumus, a Phanosthene captis necessitas cum Lacedaemoniis inita videtur rursus dissoluta esse.

Aliae mox a Dionysio et a Lucanis in Thurios ceterasque magnae Graeciae civitates irruere calamitates, ex quibus nunquam ad priorem fortunam ascenderunt; sed haec tempora quum extra quaestionem propositam sint, hic subsistendum est. Unum Dionis Chrysost. locum adjicere lubet, II, p. 12. Reisk.: Croton, Thurii, Metapontum, Tarentum, olim urbes opulentissimae, nunc omnium desertissimae.

LIBER POSTERIOR.
DE REPUBLICA THURIORUM.

CAPUT I.
DE FORMA REIPUBLICAE.

In hac disputatione ab initio eorum VV. DD. error nobis notandus est, si qui non cogitantes Thurinae reip. formam, ut in plerisque accidit civitatibus, identidem mutatam esse, veterum testimonia alio modo conciliare non potuerunt, quam ita ut sive illud sive alterum incautius rejicerent. Quod praecipue a Bentlejo, subtilitatis in tota hac disputatione nimis studioso, factum esse jam notavit Heynius Opusc. II, 147 sq. In eundem errorem incidit Micalius l'Italia avanti etc. t. III, p. 230 vers. franc., quum dicit, qui coloniam Thurios duxissent, voluisse illis eam civitatis formam constituere, quam tum cognovissent praestantissimam, eam dicit, quae niteretur optimatium imperio temperato. Quam non pristinam fuisse, sed tempore demum ex populari statu profectam, tum Diodori declarat testimonium, tum aliarum coloniarum exempla docent. Diodorus autem XII, 11. aperte tradit, post Sybaritas ejectos alteramque coloniam deductam ad popularem statum rempublicam Thuriorum constitutam esse, et eam populi distributionem factam, in qua Athenarum imitatio non potest non cognosci [1]). Namque decem factae sunt tribus civium, quibus ex singulorum patria nomina dedere, Arcas, Achais, Elea, Boeotia, Amphictyonis, Doris, Jas, Athenais, Euboeis, Nesiotis: tres illae priores auctore Diodoro colonos ex Peloponneso advectos continebant, unde elucet, Doridi non Peloponnesios adscriptos esse, sed externarum Doriensium civitatum homines: fortasse e Doride Asiae minoris venerant, uti Ias quoque Asiaticos Iones videtur complexa esse. Amphictyonis ex Wachsmuthii sententia (*hell. Alt.* I, 1, p. 120.) non ad amphictyonicum Graeciae foedus, quod proprie dicitur, referenda est, sed qui ex regionibus Thurios circumjacentibus eo venerunt, illam constituerunt. Neque tamen crediderim, Italos pelasgicae

---

1) Pericles, coloniae deducendae auctor, quin populare ibi imperium condere summopere studuerit, nullus dubito. Athenienses illud in omnibus civitatibus sibi conjunctis sequutos esse, exemplis confirmare non opus est.

originis, Sybaritarum primum imperio subditos, qui post Sybaris excidium haud dubie magnam partem in libertatem vindicati erant (nam de his videtur cogitare V. D.), Thuriis adeo factos esse eorum, quae Graecis colonis convenere, jurium participes, ut unam ex decem tribubus constituerent. Deinde vox illa jam pridem notionem sancti foederis cum communi templi alicujus cultu connexi adoptavit, quae in tribum illam non cadit. Atqui ex mea quidem sententia nihil obstat, quominus statuamus, Locros, Phocenses, Thessalos, alios, quorum patria foederi Amphictyonum adscripta esset, quum ex singulis tribus constitui non possent, propter exiguum numerum, illa tribu comprehensos esse.

Agrum probabile est aequis partibus inter colonos esse divisum. Etenim hunc in omnibus coloniis deducendis videmus constantem usum fuisse, ut qui nomina profiterentur ad patrias sedes mutandas, iis agri partem datum iri promitteretur (*κλῆρος.* v. Dorr. I, 116.). Priori colonia Thurios deducta accepimus ex Diodoro, Sybaritas praeter aequum agros urbi vicinos sibi vindicasse, neque nisi remotiores adscriptitiis colonis concessisse [2]). Sed his ejectis et novis colonis adscitis omnes ex aequo agrum possidebant (*τὴν χώραν ἐπίσης ἔνεμον* Diod., qui paulo supra de Sybaritis: *τὴν μὲν σύνεγγυς τῇ πόλει χώραν κατεκληρούχουν ἑαυτοῖς*) [3]). Sic de Lysia Plut. vit. Lys. in.: *ἐπεὶ τὴν εἰς Σύβαριν ἀποικίαν ἔστελλεν ἡ πόλις, ᾤχετο — τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος, ὡς κοινωνήσων τοῦ κλήρου* [4]).

---

2) Nescio an hoc spectet Niebuhrius hist. Rom. I, 170.: *Von einheimischen Italern, welche ihr Bürgerrecht gewannen, oder unter ihnen wohnten, gieng auf diese Griechen, wenigstens einige Städte, vieles über* cett. — *Aber daſs sie das ganze Princip des agrarischen Rechts mit den Italikern gemein hatten, darauf möchte die Assignation der thurin. Flur deuten.*

3) Tunc ita agros divisos esse suspicatur Ignarra de phratriis p. 70., ut ex agri mensura cuique civi attribuenda pars prope moenia, altera procul ab urbe assignaretur. Platonem enim rep. V, p. 745. Thuriorum instituta sequi conjicit V. D.

4) Phot. cod. 261.: *ἐφ' ᾧ τοῦ πατρῴου μετασχεῖν κλήρου.* In aprico est, Plutarchi locum male intellectum esse a Photio: nam quum Plutarchus aperte de agri parte, quam sortiturus Lysias Thurios migravit, loquatur (cf. paulo infra *κτησάμενός τε οἰκίαν καὶ κλήρῳ λαχών.* Plut.: Phot. *κλήρου τυχών*), Photius paulo pinguior propter verba, quae antecedunt, *τοῦ πατρὸς ἤδη τετελευτηκότος*, hereditatis adeundae gratia Lysiam Thurios profectum sibi finxit. At Cephalus pater ejus Syracusanus (Thurium errore eum appellat Tzetzes). Itaque valde miror, Taylorum in vita Lysiae Reisk. oratt. gr. t. VI, p. 106. et Voemelium p. 5. Plutarchum ex Photio correxisse. Verum vidisse video Hoelscherum p. 19.

Quum vero ita respublica Thuriorum ad popularem statum descripta esset, ut potius timocratia, quam vocant Graeci, dicenda esset, i. e. imperium populi, sed majoris minorisve census ratione habita: Thuriis accidit, id quod in plerisque ejusdem generis civitatibus evenit. Etenim divitiae fere fundis nitebantur; ii autem paulatim in possessionem nobilium gentium venerunt, unde optimatum imperium necessario sequebatur. Id quomodo Thuriis factum sit, audiamus ex Aristot. pol. V, 6, p. 168. Goettl.: *συνέβη δὲ τὸ εἰρημένον ἐν Θουρίοις· διὰ μὲν γὰρ τὸ ἀπὸ πλείονος τιμήματος εἶναι τὰς ἀρχάς, εἰς ἔλαττον μετέβη, καὶ εἰς ἀρχεῖα πλείω· διὰ δὲ τὸ τὴν χώραν ὅλην τοὺς γνωρίμους συγκτήσασθαι παρὰ τὸν νόμον· ἡ γὰρ πολιτεία ὀλιγαρχικωτέρα ἦν· ὥστε ἐδύναντο πλεονεκτεῖν· ὁ δὲ δῆμος γυμνασθεὶς ἐν τῷ πολέμῳ τῶν φρουρῶν ἐγένετο κρείττων, ἕως ἀφεῖσαν τῆς χώρας, ὅσοι πλείω ἦσαν ἔχοντες.* Est sane locus difficillimus, sed post praeclaram Schneideri dilucidationem satis expeditus (in Comm. ad Arist. pol. p. 317 - 321.); quem sequimur ita interpretantem: "respublica transiit ad minorem censum et ad plures magistratus, i. e. respublica et magistratus cum pluribus, etiam qui minore essent censu, fuit communicata." Itaque eo tempore, de quo loquitur Aristoteles, jam popularis status evanuerat, atque ea, quam supra notavimus, ratione nobiles gentes totum imperium arripuerant, quod rursus plebs sibi vindicavit. Nam quum totus ager Thuriorum in manus nobilium venisset, et magistratus ex majori censu deferrentur, aristocraticus inde reip. status evenerat, ita tamen ut magis accederet ad oligarchiam. Quomodo autem plebs jura sua recuperaverit, verba docent, quae sequuntur, *ὁ δὲ δῆμος — ἔχοντες.* Plebs igitur locis munitioribus potita extorsit optimatibus restitutionem eorum agrorum, quos praeter jus et leges tenebant. Quo tempore id factum sit, plane ignoramus, neque assentior iis, qui Sybaritas censent fuisse illos, quos Aristoteles exhibet optimates. Ita quidem statuit Kortuem. *zur Gesch. hellen. Staatsverff.* p. 152. Heynius eandem sententiam sequutus ad tempus, quod paulo post Thurios conditos incidit, ea spectare putat, quae Aristoteles enarravit, Opusc. II, p. 148.; idem videtur dubitanter amplecti Tittmannus *Darstellung d. Griech. Staatsverff.* p. 498. Wachsmuthius quidem I, 2, 98. ad posteriora tempora illud refert, sed idem de Sybaritis intelligit. At qui ita statuunt, videntur verba *ἕως ἀφεῖσαν τῆς χώρας* aliter explicare ac de ejectis optimatibus cogitare, ut cum Diodoro conveniant, qui XII, 11. Sybaritas maximam partem trucidatos esse, reliquos fugisse tradit, cf. c. 22. Sed mihi quidem certum est diversa narrari a Diodoro et Aristotele: nam si concedamus,

quod aegre concedimus, verba ἕως ἀφεῖσαν τ. χ. posse de expulsis optimatibus intelligi, qui fieri potuit, si seditionem a Philosopho narratam ad eum annum, quo Siculus Sybaritas ejectos tradit, referamus, ad id tempus, quod duas Atheniensium colonias intercessit, ut plebs jam usu bellico fuerit exercitata? Sin vero Sybaritarum fugam cum Wachsmuthio ad posterius tempus retulerimus, illud obstat, quod statum Thuriorum seditione ista turbatum Atheniensibus causam fuisse vidimus, cur alteram coloniam Ol. LXXXIV, 1 et 2. deducerent.

Quomodo autem paucorum potentia ita invaluerit, praeter alias, quas supra monstravimus, causas, etiam locus Aristotelis declarat, qui paulo infra sequitur, et quem ad tempus seditionem populi supra enarratam antecedens referendum esse rectissime videtur Heynius sensisse. Adolescentes enim nonnulli, haud dubie ex nobilibus, lege perlata effecere, ut institutum, quo vetitum erat, ne quis intra quinque annos imperium militare repeteret, abrogaretur: quo facto mox popularibus institutis aliis post alia solutis tota respublica in paucorum potentiam venit. In quo difficultatem quandam facit, quod ab Aristotele adolescentes illi παρὰ τῷ πλήθει τῶν φρουρῶν εὐδοκιμοῦντες dicuntur. Aretinus verba τῶν φρουρῶν plane omisit, cui quin adsentiat Schneiderus, haud multum abest: explicat tamen de praesidio optimatum, ad cujus operam utilem futuram in consiliis suis exsequendis et in potestate oligarchorum frangenda illos respexisse. De militibus optimatum praesidio conductis Kortuemius quoque intellexit. Nobis tamen (nisi forte cum Aretino ejicienda sunt) magis placuit, quod Wachsmuthius I, 2, 325. speciose conjecit, certum quendam civium numerum praecipue rei militari destinatos fuisse, iisque nomen τῶν φρουρῶν inditum. Milites externos ab optimatibus praesidio suo conductos esse, videtur viris doctis illud maxime probavisse, quod supra Aristoteles dixerat: ὁ δὲ δῆμος τῶν φρουρῶν ἐγένετο κρείττων, quod de praesidio nobilium a plebe superato acceperunt. Sed maluimus cum Heynio de locis munitioribus (φροῦραι) intelligere. Quod tamen Wachsmuthius addit, tum demum, quum paucorum imperium constitutum esset, magistratus ex censu electos esse, nobis non probatur, neque Aristotelis certe verbis videtur confirmari.

Supra diximus, nos plane ignorare, quo tempore popularis reip. forma restituta sit: Ol. CXV, 4. paucorum imperium obtinuisse, fortasse probabit locus Diodori XIX, 3.: eo enim anno optimatum factio Crotone expulsa bellum patriae intulisse dicitur, ἐκ Θουρίων ὁρμήσαντες.

Ex magistratibus Thuriorum duorum nobis servata sunt nomina, σύμβουλοι et στρατηγοί Illos commemoravit Aristoteles ut legum

custodes primum obstitisse adolescentibus, qui legis de praetura nisi post quintum annum non repetenda abrogandae conatum facerent: deinde vero iis satisfecisse, sperantes, fore, ut si illud concederetur, rempublicam non amplius turbarent, quae spes eos fefellit. Itaque non inepte senatores eos dixeris. Magnam iis fuisse auctoritatem, conjicere licet ex lege Charondae ap. Diod. XII, 12.: eos, qui novercam liberis superinduxissent, *μὴ συμβούλους γίνεσθαι τῇ πατρίδι*; neque enim fieri posse, ut patriae bene suadeant, qui liberis male consuluissent. Verumtamen audacius, quam hi loci permittunt, videtur statuere Kortuemius l. l. p. 151.: *Die Staatsverwaltung war eigentlich bei den Mitberathern, welche, aus den Reichsten erwählt, über gemeinsame Gegenstände Beschlüsse faſsten, die darnach scheinbar* (!) *von der Volksversammlung bestätigt wurden. Dabei wachten sie über Aufrechthaltung der Grundgesetze, und durften jede Verletzung, mithin jede demokratische Lebensthätigkeit, strenge ahnden.* Accuratiora de his consulibus, ut ita vertam, comperta non habemus: verum nihil utique nos cogit, ut oligarchico reipublicae statui originem suam illos debuisse censeamus. Sive eos cum *προβούλοις*, sive *νομοφύλαξι* contendere maluerimus, haud multum inde efficietur ad rationem hujus magistratus rectius constituendam.

Praeter *συμβούλους* nominantur *στρατηγοί* (Aristot. l. l.): quos etiam in aliis civitatibus ad popularem statum conformatis auctoritate haud exigua usos fuisse accepimus. Cf. Wachsm. I, 2, p. 14. Thuriis populo potestas erat eos eligendi: de lege, quae praeturam militarem intra quintum annum eidem deferri vetuit, jam vidimus. De reliquis Thuriorum magistratibus (*οἱ ἄρχοντες, οἱ ἐν τοῖς πράγμασιν* Aristot.) nihil nobis traditum est.

Accedimus jam ad comitia populi. Ab initio civitatis Thuriorum constitutae haud dubie imperium penes populum erat: atque etiamsi, uti vidimus, sensim paucorum auctoritas nimis cresceret, tamen non omnibus juribus, ut Kortuemius vult l. c., destituta sunt comitia. Populus praetores eligebat, id quod ex Aristotelis loco saepius nobis laudato cognovimus. Praeterea in legum aliquot apud Diodorum mentione elucet, jus legum ferendarum abrogandarum penes populum fuisse: tum de his, tum de lege, quae vetuit comitia cum armis adiri, infra videbimus. Comitia illa quod interdum *ὁ δῆμος* (Diod. XII, 17. 18.) vel *τὰ πλήθη* (c. 17.) nuncupantur, et ipsum popularem statum arguit. In comitiis populus haud dubie tributim suffragia ferebat: fuerint illae tribus gentiles eaedemque locales, quod in nova urbe fa-

cile potuit institui. Gentilium tribuum ex ceteris Magnae Graeciae civitatibus exemplum praesto est Crotoniensium. Schol. Theocr. IV, 21.

Superest, ut de judiciis aliquid addamus, in quibus Athenarum exemplum haud difficili negotio invenias. Cuilibet enim civi licuit judicium ferre: imo non solum licuit, sed ex Charondae lege inter munia publica fuit, ita ut ii, qui judices esse detrectarent, poenas dare cogerentur: sed in ratione ejus poenae plane diversam ab Atheniensium institutis videmus Charondae legem: nam Pericle auctore Athenis merces judiciali constituta est, quo omnibus facultas praeberetur judicia frequentandi: sagacius utique Charondas, qui pauperibus judicare detrectantibus levissimam, divitibus tam gravem constituit multam, ut eos a judiciis nunquam abesse velle exspectari posset, id quod commode observavit Heynius p. 115. Legem prodit Aristot. Pol. IV, 13.

Caput II.
DE JURE CIVILI THURIORUM. ACCEDIT DISPUTATIO DE CHARONDA.

Thurios Charondae Catanaei legibus usos esse, quum hodie satis constare videatur inter viros doctos, eum nobis licebit in hac disputatione ordinem sequi, ut primum, quot tum Thuriorum, tum Charondae nomine servatae sint leges, recenseamus, deinde de Charondae aetate et de legum traditarum integritate agamus. De jure publico fere nihil compertum habemus, nisi ea quae ad poenas a Charonda constitutas spectant: in quibus eum legum conditorem cognoscas, qui quasi ad Doriensium exemplum (Dorr. II, 224.) praecipue famae pudore mores hominum emendare, atque liberum obsequium erga leges institutaque civitatis consciscere voluerit. Complures enim ejus leges memorantur, quae ad homines criminis alicujus convictos contumelia afficiendos eoque pudore ad majorem vitae honestatem revocandos pertinent: prima de hominibus malitiosae delationis convictis, quos myrica ut malitiae palma coronatos per urbem circumduci jussit (Diod. XII, 12.): altera de iis, si qui signa in bello deseruerint, aut arma pro patria omnino non ceperint: in quos eam poenam constituerat, ut per triduum muliebri vestitu amicti in foro considerent (Diod. XII, 16): tertia de moechis et alienorum negotiorum curiosis, quos ludificari facetisque ac dicacibus conviciis exagitare cuivis permisit (ad Charondam referre licebit locum Plut. de curios. 8.) [1]): denique huc pertinet

1) Plutarchi vocem κωμῳδεῖσθαι de venia ludos scenicos adeundi intelligebat Sainte-Croix.

lex sublestae fidei in prooemio Charondae ap. Stob. serm. XLIV, p. 222. Gaisf., qua iis, qui templa et publica aedificia privatarum aedium sumtu superassent, non certam poenam destinavit, sed tantum malam famam minatus est. Attamen Charondae lex de talionis jure et ipsi tribuitur apud Diodorum (XII, 17.): id quod per se quidem pro harum legum vetustate non videtur veri dissimile esse, sed suspicionem creat narratio a Diodoro addita, ad quam infra revertemur. In universum maximam in Charondae legibus humanitatem conspicuam esse jure nostro contenderimus.

De litibus in foro agendis idem Charondas, si fides habenda auctori, legem tulit gravissimam: primus enim constituit actiones de falsis testimoniis, *δίκας τῶν ψευδομαρτυριῶν*, quam propria voce *ἐπίσκηψιν* nominarunt Athenienses. (Lectionem *ψευδομαρτύρων* et *ἐπίσκεψιν* emendavit Beutlejus opusc. p. 358. Lips.) Locum Aristotelis, ex quo de hac lege constat, Pol. II, 9. (10.), suspectum mihi reddidit Goettling. p. 345.: nullius igitur momenti habeo, quod hoc solum Charondae peculiare fuisse ibi dicitur: legem repetiit Stobaeus, si Heynium sequimur Opusc. II, 165. Minoris etiam fidei est lex a Stobaeo in prooemio tradita, ut si quis malo alicujus facinori conscius fuerit, eum indicet.

Transimus jam ad jus privatum: ac primum personarum jura quod attinet, de divortio conjugum legem Charondae servavit Diodorus XII, 18., quae tum marito tum uxori matrimonii sponte solvendi facultatem praebuit. Lex dicitur emendata esse hoc modo: maritus aetate provectior a conjuge, quae multo minor erat natu, desertus est: quod ille tam aegre tulit, ut ejus legis abrogandae auctor fieret Thurinis, non sine sui ipsius capitis periculo. Nam hoc instituerat Charondas auctore Diodoro, ut qui legem abrogandam ferret, collum laqueo insereret, dum suffragia darentur: et si minus probaretur, continuo collum ei frangeretur. Itaque quum prospere suasio marito illi cessisset, legem ita Thurini moderati sunt, ut ne ei conjugi, qui cum altero divortium fecisset, deserto juniorem in matrimonium ducere liceret.

Altera lex fuit de epicleris sive filiabus heredibus. Ex ea filiae in totius patrimonii successionem relictae licuit consanguineorum proximi nuptias expetere, et vicissim proximo puellam cogere, ut sibi nuberet: sin puellam censu minori ille rejiceret, dotem quingentarum drachmarum ei donare jubebatur. Diod. XII, 18. Eandem fere a Solone legem latam esse, tum ex ipso hoc Diodori loco cognoscimus, tum ex Plutarcho in vita Solonis c. 20. cf. Demosth. in Macart. p. 1067 sq., ubi accuratius de dote constitutum est. v. etiam C. Fr. Hermann.

antt. graec. publ. §. 121. ibique laudd. Legem emendavit populus, quum puella orba, cui quingentae drachmae parum sufficerent ad paupertatem suam levandam, misericordiam ejus imploravisset. Ac videtur inde ab illo tempore consanguineo, si quis puellam ducere nollet, hoc non amplius licuisse, ut dote praebita matrimonium effugeret. Quamquam ex Solonis lege etiam ii, qui quingentorum medimnorum habebant reditum, puellae, cujus nuptias rejiciebant, D drachmas non plus donare jubebantur. — Has duas Charondae leges, quam suspectas faciant narratiunculae additae, infra videbimus.

Alia lex Charondae fuit de patria in filios potestate, quam aeque ac Solon et Pittacus ad eum usque annum voluit valere, quo filii publicis civium tabulis adscriberentur. Dionys. Hal. R. Antt. II, 26. Itaque si ad Solonis exemplum respicimus, expleto duodevicesimo anno in suam tutelam venerunt. V. quos citavit C. Fr. Hermannus antt. gr. §. 123.

Quarto loco afferenda est lex Charondae de tutela, quam ut imitatione dignam praedicavit Diodorus XII, 15. ut agnati bona pupillorum administrarent, cognati ipsos educarent. Idem quod Charondas consilium sequutus est Solon, cavens, ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum res familiaris veniret. Diog. Laert. I, 2, 9.

Denique pervenimus ad legem, quam Diodorus primo loco memorat, Stobaeus prooemio Charondae, quod dicitur, inseruit, de noverca liberis non superinducenda. Cui legi commendandae quae conditori obversata sint argumenta, videsis apud Diod. XII, 12. Idem c. 14. poetae alicujus versus iambicos recitat, quibus haec ipsa lex Charondae poetica oratione exponitur. Qui contra eam legem peccavisset, eum secundum Stob. serm. XLIV, 223. Charondas jusserat nullo honore haberi, sed probris lacessi (*μὴ εὐδοξείτω, ἀλλ' ὀνειδιζέσθω*). Poenam accuratius Diodorus memorat, *τὸ μὴ γίνεσθαι συμβούλους τούτους τῇ πατρίδι.* Utrumque sic expressit poeta supra excitatus: *μήτ' εὐδοκιμείσθω, μήτε μετεχέτω λόγου παρὰ τοῖς πολίταις.* Plato idem suadet, quod Charondas, neque vero imperat legg. XI, 930, b.

Deinde ad jus rerum attinet, quod Aristoteles indicare videtur, certum modum agrorum Thuriis constitutum fuisse, ultra quem quidquam possidere per legem vetitum erat. v. Arist. pol. V, 6. Schn. p. 168. Goettl. — De dote paulo ante diximus.

Tum de jure obligationum una tantum lex Thuriorum de emtione venditione servata est a Theophrasto ap. Stobaeum serm. XLIV, 201., sed quae luculentissimum praebet exemplum, quo docemur, hac in re potissimum diligentiam nimis accuratam Thuriis vitio verti ab Ephoro ap. Strab. VI, 398. Locum Theophrasti aliquanto obscuriorem expe-

divit Heynius p. 152 sqq., ex cujus explicatione hic sensus verborum est: Thuriis nulli omnino emtionis venditionis solemnes ritus in usu erant, nec in foro eam rem gerere solebant, sed emtorem et venditorem jusserunt parvum numum dare tribus vicinis, ut pacti esset memoria ac testimonium. Ita necesse erat, ut illi quidem, qui pactionem fecerant, magistratus haberent praedes, ab his autem ipsi vicini tenerentur, si emtor rem non accepisset, aut rem traditam peteret tamquam non traditam, aut acceptam esse negaret. Quae deinde habet Theophrastus, perversa ad Thuriorum leges retulit Sainte-Croix in *Mémoires de l'Acad. d. J.* t. XLII. — Infra haec addit Theophrastus, Thuriorum leges porro jussisse, arrham confestim, pretium eodem die repraesentari: atque emtorem, si hoc factum non esset, perdere arrham: venditorem autem, si in pacto non maneret, tantum persolvere, quanti res vendita esset. Ipse Theophrastus hanc poenam inaequalem esse observat, quum res vendita arrham pretio excedat. Haec fere sunt quae de jure Thuriorum tradita habemus: quae disciplinam publicam attinent leges, infra commemorabuntur.

Secundo loco quaestio nos excipit de aetate Charondae, unde elucebit, num ipse leges illas Thuriis scripserit. Ad aetatem Charondae expediendam primum hoc permultum facit, quod Zaleuco, quem c. Ol. XXIX. floruisse docet Eusebius, saepissime subjungitur et cum eo inter antiquissimos legum conditores recensetur. Theodoretus de cur. aff. Gr. IX, 608. c. eum primum Italis et Siculis leges tulisse ait. Quod quamquam omnium eorum sententiis refragatur, qui Zaleucum Charonda faciunt priorem, id quod utique verius videtur esse, tamen hoc inde efficitur, ab ipsis veteribus, cum de aetate Charondae non certo constaret, eam ad Graecarum in Italia et Sicilia civitatum incunabula retractam esse. Ex loco suspecto Aristotelis Pol. II, 10. Schn. p. 67. Goettl. videmus, a nonnullis Charondam Zaleuci discipulum, hunc et Lycurgum Thaletis s. potius Thaletae, hunc Onomacriti auditorem habitum esse. Quod de temporum rationibus confusis dicit auctor, ad Charondam non pertinet: quem ipse paulo ante Zaleuco subjungit. Illo loco Charondam dicit Catanaeum, qui tum suis civibus, tum ceteris per Italiam et Siciliam civitatibus Chalcidicae originis legum conditor exstiterit. Quod confirmatur Heraclidis Pontici fragmento XXV, p. 26. Koeler., secundum quem Rhegini Chalcidenses Charondae Catanaei legibus utebantur [2]). Quae Heraclidis verba quum antecedant

2) Auctore Aeliano V. H. III, 17. Charondas patria exul Rhegii commoratus est. cf. Perizon.

narrationem de Anaxila Messenio, qui tyrannidem Rhegii occupavit Ol. LXXI, 3. (Diod. XI, 48.), verissime inde conjecit Bentlejus opusc. p. 354. Lips., leges Charondae tum jam Rhegii floruisse, quum Anaxilas imperium sibi conscivit [3]). Itaque non audiendi levioris fidei scriptores, tum qui eum Thurium dicunt [4]) (Diod. XII, 11. Val. Max. VI, 5. Themist. orat. II, p. 31, b.), tum qui patriam quidem ejus Catanam agnoscunt, ipsum tamen Thuriis leges scripsisse opinantur (Plut. de curios. 8. Schol. Plat. p. 419.). Nam eo tempore, quo Thurii conditi sunt, multo prior habendus est et circa Ol. XL. ponendus.

Consentaneum igitur est, Thurios, si Charondae legibus usi sint, eas a Chalcidicis civitatibus accepisse et in civitatem suam admisisse, singulis haud dubie pro temporum locorumque diversitate emendatis. Sed leguntur loci aliquot veterum, qui fidem faciant, non Charondae, sed Zaleuci Locri leges quum Sybaritis, tum Thuriis placuisse: certe illud Bentlejo probare videbantur, qui alacriter ut solet, illos adversariis obtendit. Primum contra ea, quae locis ex Athenaeo (XI, 508, a), Scymno (345 sq.), Strabone (VI, 399.), Theophrasto (ap. Stobaeum serm. XLIV, 204. Gaisf.) allatis efficere studuit criticus, jam Heynius p. 162 sq. ita disputavit, ut prorsus eum refellisse videatur. Haec igitur praeterimus. Neque hoc Bentlejo succurrit, quod eo tempore, quo Charondae leges Thuriis admitterentur, ad popularem statum eorum rempublicam descriptam fuisse nobis persuasum est census maxime ratione habita: Rhegii autem ante Anaxilai tempora paucorum imperium fuisse docent Arist. Pol. V, 12. Heracl. Pont. frgm. XXV. Strabo VI, 395. Rhegii enim Messeniorum gentes imperium exercebant, id quod non ex Charondae institutis fieri potuit, ac nobilium illarum gentium Rhegii dominatus Charondae aetatem multo antecedit. Neque omnino putaverim, Charondae leges ad reipublicae formam constituendam pertinuisse. Eadem est sententia Wachsmuthii *hell. Alt.* I, 1. p. 123 sqq.: *des Charondas und des Androdamas Gesetze in den chalkidischen Städten ordneten schwerlich auch die Stände.*

Eam denique sententiam, quam Sainte-Croix proposuit in dissertationibus de legibus Magnae Graeciae in *Mémoires de l'Acad.* t. XLII, duos fuisse, qui Charondae nomen ferrent, alterum Thuriorum, alterum Catinensium legumlatorem, refellere supersedemus, quum ipse ejus

3) Quod Morisonius contendit Inscript. Reginae p. 39., Charondam c. Ol. LXXX. Rheginis leges condidisse, nulla auctoritate nititur.

4) Ridiculo errore Tyrium appellavere Alexander genial. dier. l. VI, 10. alii, de quibus v. Fabric. bibl. Gr. t. I, p. 536. ed. III, 1718.

auctor Heynii prolusionibus meliora doctus eam retractaverit. Perverse (nisi forte verum vidit, obscurius loquutus) Barthelemy St. Hilaire in editione Aristot. Polit. ad I, 1, 6.: *Charondas, Catanensis, legislator Thuriorum, circa Ol. XXIX.*

Hoc loco etiam commemoranda sunt, quae de morte Charondae narrantur Diod. XII, 19. Val. Max. VI, 5. Quum aliquando latrones terram infestam redderent, Charondas ad eos pellendos egressus est: interea in urbe seditione orta Charondas reversus gladio non deposito concionem adiit, quod ipse lege caverat, supplicium ei, qui contra fecisset, minatus. Quod quum aliquis exclamasset: tuam ipse legem dissolvis, imo confirmo, inquit, et gladio se percussit. De qua narratione magna inde dubitatio existit, quod idem de Zaleuco et de Diocle, qui Syracusanis leges scripsit, traditur. Diod. l. c. Eustath. ad Il. *ά*, p. 62. ed. Bas. In quo non refragabimur, si quis statuat, ad Dioclem illud potius referendum esse, quam ad Zaleucum et Charondam, utrumque antiquitate obtectum et ad quos facile potuerit transferri. Zaleucum in bello interfectum esse auctor est Suidas s. v. Ut in legibus Charondae et Zaleuci, ita in vita quoque eorum multa confusa legimus. Suid. s. v. *Ζάλευκος· Λοκρὸς ἐκ Θουρίου.*

Tertium restat, ut inquiramus, num genuinae sint leges a Diodoro et Jo. Stobaeo Charondae nomine nobis servatae cum prooemio. Dudum inter omnes convenit post argumenta Bentleji sagacitate extricata, ab Heynio locupletata, legum illarum fragmenta cum prooemio, ita uti nobis tradita sunt, Charondae non magis deberi, quam alterum prooemium Zaleuco [5]). Dialectus dorica, qua initium prooemii, quod Charondam prae se fert auctorem, conscriptum est, omnino oratio comtior, quam pro illa antiquitate, sententiarum nonnullae, quas ibi legimus expressas, posterioris aetatis scriptorem arguunt, Pythagoreum quidem, qui et prooemium et leges ad suum ingenium conformavit. Quod Warburtonius rem ita componit ut sentiat (*Divine legation of Moses* p. 108 sqq.), leges illas et prooemia aevo posteriori in alteram transscripta esse dialectum (uti de Dioclis legibus factum esse legimus Diod. XI, 34.), fere nihili pendendum est. Genuinas utriusque leges nobis non esse servatas, vel hoc innuit, quod nonnulla in utroque legimus, quae vix alter ab altero sumsit, et quibus Stobaei et Diodori

5) Utriusque prooemium Cicero laudavit legg. II, 6. Itaque mirum est, Zaleuci prooemium a Diodoro agnosci, cum alterum Charondae ignorare videatur. Quo evincitur, auctores quidem Diodori et Stobaei ex eodem fonte hausisse, neque tamen ipsos.

auctores male illos confudisse arguuntur. Huc pertinent Diod. XII, 16. coll. Stob. serm. XLIV, 200. Diod. XII, 17. coll. Stob. l. l. Dem. Timocr. p. 743. et Polyb. XII, 7. Stob. XXXIX, 77. Luculentissimum exemplum, quod ultimo loco posuimus, est narratio de laqueo fatali legum custode et de monoculo, qui legis de talionis jure emendandae civibus auctor factus sit. Thurinis an Locrensibus illa tribuenda sint, non dubitatur, si Demosthenis et Polybii auctoritatem respicimus. Itaque illam quoque Diodori narratiunculam de tribus omnino, dum Thuriorum civitas constiterit, ibi legibus abrogatis, ut ad Zaleuci exemplum aperte fictam plane rejicimus legemque de eodem laqueo a Charonda abjudicamus. Pythagoreus autem quidam philosophus quin prooemium et leges Charondae, quales nunc habentur, ita composuerit, vix quisquam dubitabit, qui cum illis Pythagoreorum, qui supersunt, libros comparaverit. Sed ne Bentleji quidem sententiam, Zaleuci aeque ac Charondae leges cum prooemiis nihil nisi commentum esse a sophista aliquo sero demum procusum, non audemus adoptare. Non est, cur non philosophus ille re vera integras Charondae et Zaleuci leges cognoverit. Quantum nos quidem videmus, temere fuerit ab egregia Heynii de utriusque legibus disquisitione discedere. Cui quod adderemus, quum fere nihil superesse videretur, haec paucioribus absolvimus. Prooemiorum illorum genuinam formam fortasse ex Plat. legg. IV, 719. cognoscemus: cf. O. Muelleri Dorr. II, 230.

Protagoram sophistam Thuriis leges scripsisse, auctor est Heraclides Ponticus Diogeni Laert. IX, 8, 1. Protagoram circa idem tempus multas per Siciliam et Italiam urbes adiisse, variorum testium consensu habetur certissimum. Ac quum Periclis dicitur usus esse familiaritate (Plut.), Pericles autem quasi pater fuerit coloniae Thurinae, possit inde illi narrationi aliqua species adjici. Itaque sane videtur Th. Bergkio (p. 101.) Pericles Protagora usus esse, quum Thurios coloniam deduceret, ut leges novae urbi describeret. Idem videtur probare Bentlejus opusc. p. 363. [6]). Diagoras Melius Mantinensibus leges scripsit et ipse sophista. Ael. V. H. II, 23. Neque tamen et ipse

---

6) Consentit Hardion diss. huitième sur l'origine et les progrès de la Rhetorique dans la Grèce, in *Mémoires de l'acad.* t. XV, et L. F. Herbst. in Petersen *philolog. hist. Studien* etc. p. 106 sq. qui Protagorae potissimum *ἀκρίβειαν* in legibus Thuriorum ab Ephoro notatam deberi putat, quum ad emendandas Charondae leges a Thuriis sit admissus. Idem mirum in modum *θουριομάντεις* Arist. nub. 331. censet propter Protagoram et ipsum Thurium inter sophistas nominari. — *Ἀκρίβεια* Charondae tribuitur in loco suspecto Aristotelis pol. II, 8. p. 68 Goettl.

probaverim: cognovimus quidem, Protagoram ad id quoque studia sua convertisse, ut artem reipublicae administrandae doceret (Plat. Prot. p. 318, e.), et apud Diogenem in Catalogo librorum ejus nonnulli leguntur, quos de eadem re conscripsit: sed sive Thurios primum illo usos fuisse legum conditore, deinde Charondae leges admisisse, sive Protagorae ab iis commissum esse statuemus ut leges Charondae ad sua tempora accommodaret, utrumque graviori teste admodum eget. Accedit, quod Protagoras non ante defunctum Periclem Athenis discessisse videtur (v. Bergkium l. l.). Fortasse eo nitebatur Heraclidis fabula, quod Protagoras tum in aliis Italiae et Siciliae urbibus, tum maxime Thuriis scholas instituit sophistarum more de munibus publicis et similibus: J. Geelius de Pythagora illud ab Heraclide dictum fuisse suspicatus est in hist. crit. Sophist. (Nov. Act. Soc. Rheno-Traject. II. p. 77.), quod propter temporum diversitatem negat Brandis. hist. phil. I, 525. Diog. Laert. VIII, 1, 15.: ἄλλους τε πολλοὺς (Pythagoras) κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἀπεργάσασθαι καλούς τε καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας· ἀτὰρ καὶ Ζάλευκον καὶ Χαρώνδαν τοὺς νομοθέτας. Jambl. de vita Pyth. VII, §. 33.: (Pythagoras) — ἐλευθέρους ἐποίησε — Σύβαριν καὶ Κατάνην καὶ Ῥήγιον — καὶ ἄλλας τινας αἷς καὶ νόμους ἔθετο διὰ Χαρώνδα τοῦ Καταναίου καὶ Ζαλεύκου τοῦ Λοκροῦ. Cf. XXIII, §. 104. XXVII, §. 130. XXX, §. 172. Porphyr. de vita Pyth. 21. Seneca ep. XC.

Caput III.

DITIO. COMMERCIA. RES MILITARIS.

Amplo Sybaritarum agro Thuriorum fines quin aliquanto angustiores fuerint, dubium non est. Post Sybarim excisam partim vicini, inprimis victores Crotoniatae, agrum latissimum occupaverunt, partim Itali ipsi priores eorum locorum incolae, qui quum a Sybaritis strictiore laxioreve imperio tenerentur, tum rursus sui juris facti sunt. Ol. LXXVII, 2 Rhegini in agro Sybaritano Buxentum condidere, paulo antea Crotoniatae eo usque videntur imperium suum extendisse, ut Laum et Scidrum a reliquiis Sybaritarum incultas vastare conarentur. Thurini igitur non sine magna contentione multisque bellis partem aliquam agri Sybaritani recuperare poterant. A Crotoniensibus Hyliam fluvium terminum constitutum fuisse, docemur ex Thuc. VII, 35. Porro Thurios Terinensium agrum attigisse, ex bello cum illis paulo post coloniam deductam gesto elucet. Ab aquilone ad Siritidem terra eorum adjacebat, de qua aliquantum cum Tarentinis certarunt, deinde communem

cum illis coloniam Heracleam deduxerunt. Sed quid faciemus loco Strabonis VI, 429, ubi conventum Graecorum Italiae Heracleae haberi solitum [1]) Alexander Molossus odio Tarentinorum, qui potiora in eam urbem quam Thurini exercuere jura, in Thuriorum ditionem transferre conatus prope Acalandrum fluvium dicitur locum in eum finem muro saepsisse? Nam Acalandrum a septentrionali Heracleae parte apertum est poni a Plinio N. H. III, 11. Jam Islaeus propter Strabonis locum Acalandrum Heracleae a meridie fluxisse censuit, Cluverus legendum esse putavit Cylistarnum. Hoc patet, Acalandrum non eundem esse quam qui hodie Salandrello vocatur accolis, sed Heracleam inter et Thurios ponendum: Mannert. geogr. Gr. et R. IX, 2, 231. fluvium, qui nunc Rocanello appellatur, et a Crathide millia passuum distat, Acalandrum esse conjicit: aliter Romanell. I, 238 et 243, ex cujus sententia Cylistarnus s. potius Cylistarus nunc Roccanello dicitur, Acalander autem Calandro. Cf. Ullrich. Syb. p. 4.

De commerciis ac mercatura Thuriorum non expedit in conjecturis versari, quum veteres nobis hic omnino desint. Laeta incrementa, quae civitas eorum mature cepit, probabile est non minus commerciis, quam prosperis bellis deberi: et illud ipsum, quod quasi universae Graeciae colonia fuerat, ad commercia Thuriorum juvanda sine dubio egregie valuit. Vini atque olei Thurini fama per totam antiquitatem vulgata demonstrat, Thurios terrae suae proventu mercatum instituisse quaestuosissimum: picem quoque, quam Sila praestitit, mercatura ab iis evectam esse, probabile est (Wachsm. II, 1, 88.). Eadem Sila iis non solum materiem praestitit navium aedificandarum (v. Bartels *Briefe über Calabrien und Sicilien.* t. I, p. 286.), sed etiam ita lignis abundare tradit Riedeselius (p. 193.) montes Thuriis vicinos, ut exportari illa possint. Ad navigaturam delphini quoque spectare videntur, qui passim in numis sunt conspicui, et ancora (ap. Raschium p. 1155. n. 19.).

Artis bellicae Thurii paulo post civitatem conditam perito magistro Cleandrida usi sunt, cujus dexteritati in acie exstruenda locorumque ingenio utendo probatae nonnullas de Lucanis victorias debuerunt: v. Polyaen. Strateg. II, 10, 2. 4. 5. [2]). In bello Peloponnesiaco Thurios vidimus Atheniensibus DCC pedites gravis armaturae, CCC ja-

---

1) *Πανήγυριν*, quae foedus Italiotarum contra Dionysium et Lucanos Ol. XCVI, 4. compositum tempore non videtur antecedere. Cf. Diod. XIV, 91. 101.

2) Apophthegma Spartano duce indignius, pelle vulpina utendum esse, ubi leonina non sufficiat, jam Cleandridae tribuitur Polyaen. l. l. Cf. Plut. reg. apopth. p. 127. Hutten.

culatores ministrasse, postmodum Lacedaemoniis decem naves Dorieo Rhodio duce. Sed quantam multitudinem in suae civitatis praesidium cogere potuerint, bella Ol. XCVII, 3. annis post Thurios conditos circiter quinquaginta quatuor cum Lucanis gesta docent. Ibi enim contra barbaros eduxere exercitum peditum quatuordecim millium amplius, equitibus prope mille additis. Ac terra, quam incoluerunt, equis alendis erat aptissima, quandoquidem toto agro canalibus irrigato pabulis non eguerunt [3]). Tac. annal. XIV, 21.: *a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina*; Livius tamen (I, 35.) horum originem ex Etruria derivat. *Tyriis* praebet ms. Corb., quod nihili est. Heynius opusc. II, p. 133. Thurios hoc loco Sybaritas dici existimat, cogitatque de pompa equestri, qua crocotis super loricas induti transvehebantur Sybaritani ultra quinque millia Ath. XII, 519, c. Sed, ut verba Taciti se habent, probabilior utique est O. Muelleri sententia, de arte Sybaritarum equos ad tibiae modos saltare docendi cogitandum esse, quae fortasse ad Thurios transiit. V. Etr. II, p. 220.

Caput IV.

RES SACRAE. DISCIPLINA PUBLICA. ARTIUM LITERARUMQUE CULTURA.

Inter divina numina a Thuriis publice culta longe primum locum obtinet Minerva ab Atheniensibus accepta: quae fere in omnibus Thuriorum numis conspicitur, laureata galea et gryphis (Mionnet. t. I, p. 170. nro. 676.) vel Scyllae figura (nro. 657.) ornata. Inprimis duo numi sunt laudandi, in quibus Minervae capiti adscriptae sunt literae ΣΩ, i. e. Παλλάδι σωτῆρι. Inferior erat Dianae et Cereris cultus, quarum dearum imagines vid. in numis expressas ap. Mionnet. t. I, p. 171. nro. 690. 691. 695. Suppl. t. I. 224, nro. 871. Inde ab Olymp. LXXXVI, 3. quo anno Delphicus Deus suam jussit haberi coloniam, in numis aliquot comparet. v. Mionnet. t. I, p. 171. nro. 692. Suppl. I, p. 324. nro. 867. 868.: tripus t. I, p. 169. nro. 660. Boreas a quo inde tempore Thuriis cultus sit, atque adeo civitatem et agrum peculiarem (*τέμενος*) sit nactus, vid. ap. Aelian. V. H. XII, 61. coll. Diod. XIV, 100.: incidit enim hoc extra id tempus, de quo agere instituimus. Herculis, Veneris, Jovis Olympii (Athenis

3) Idem comprobare videtur, quod equum etiam numis incuderent (v. Mionnet. Suppl. t. I, p. 322, nro. 854.). Riedeselius p. 192.: *le seul duc (de Corigliano) élève chaque année trois cents chevaux.*

quoque culti, cf. Arist. Pol. V, 9.), Liberi fana Thuriis fuisse, e nominibus vicorum Thurinorum ap. Diodor. XII, 10. vix audeo conjicere. Mercurii sceptrum conspicitur in numo ap. Mionnet. Suppl. I, 323. nro. 859.: thyrsos numis inscriptos jam commemoravimus. Panem litoralem legimus Theocr. V, 14.: cujus erat sacellum prope Crathim fluvium, sive prope mare situm. Philosteph. ap. Schol. Philoctetae denique cultum a Sybaritis (Mir. ausc. c. 115. coll. intt.) ad Thurios transiisse, docere videtur Justinus XX, 1.: *Thurinorum urbem Philocteten condidisse ferunt, ibique adhuc monumentum ejus visitur et Herculis sagittae in Apollinis templo, quae fatum Trojae fuere.* Cf. Et. M. s. v. Ἀλαῖος. Steph. s. v. Μάκαλλα. Tzetz. Lyc. 911. 927. Sil. Ital. XII, 433. In numis, qui Copiae nomine signati exstant, Jani, Herculis, Mercurii capita conspiciuntur.

Disciplinam publicam maxime spectat Charondae quod dicitur prooemium ap. Stobaeum, serm. XLIV, p. 218 sqq. Gaisf.; sed perpaucae in hoc prooemio nobis servatae sint genuinae Charondae sententiae, pleraeque philosophum posteriorem arguunt. Itaque omissis iis, quae ibi in universum de Deorum veneratione, de reverentia ac pietate parentibus et magistratibus praestanda monita sunt, eas tantum leges commemorabimus, quae ad singulas quasdam res spectant. Atque ex illis quidem primum eam supra attigimus, quae ut respublica salva esset multis usa bonae institutionis custodibus, eum, cujus quis facinoribus conscius esset, indicari jussit: non minus eam, quae cum hac arcte conjuncta est, ut calumniae convicti myrica coronati per urbem circumducerentur.

Mortuos Charondas jussit non lacrymis nec lamentis honorari, sed bona recordatione, atque annua frugum oblatione: Stobaeus p. 222. De funeribus peculiaria fuisse Thuriorum instituta, confirmatur loco Menandri rhetoris ap. Walz. vol. IX, p. 203.

Prooemii finem deinde hoc loco adjiciamus; jubet autem lex omnes cives haec prooemia ediscere, et festis diebus post paeanas recitare, cui quidem epularum sacrarum curator imperaverit, ut in unius cujusque naturam haec praecepta abeant (ἐμφυσιοῦται, quae vox Pythagoreum prodit, cf. Heyne p. 82. Krische de soc. a Pyth. cond. p. 24.). Hoc non merum fictum Pythagorei esse, qui prooemium retractavit, docet locus Strabonis XII, p. 813. ubi Mazaceni, qui et ipsi Charondae leges adsciverant, dicuntur delegisse νομῳδὸν, ὡς ἐστιν αὐτοῖς ἐξηγητὴς τῶν νόμων [1]). Videntur igitur leges Charondae ab

1) Mazaca Cappadociae egregiis suis institutis fortasse cognomen Eusebiae

initio more gnomicae poëseos conscriptae fuisse, ita ut decantari possent. Confirmatur hoc etiam ab Hermippo libr. VI. de legislatt. ap. Athen. XIV, p. 619, b.: "Athenis leges Charondae inter pocula canebantur": (in Scolia redactae?); ubi de modis musicis cogitari nequit. Hanc narrationem videtur Stephanus Byz. cum loco Scholiastae Plat. supra laudato (p. 419. Bekker.: Χαρώνδας ἐκ Κατάνης πόλεως Σικελίας διάσημος τῶν Ἀθήνηθεν ἐλθόντων εἰς Θουρίους ἐποίκων) conglutinasse, quum s. v. Κάτανα paulo perversius scribit: ἀπὸ τῆς Κατάνης Χαρώνδας ὁ διάσημος τῶν ἐν Ἀθήνῃσι νομοθετῶν. Quum rarior sit loquutio ἐν Ἀθήνῃσι, Bentlejus substituere voluit ἐν Σικελίᾳ, Fabricius paulo pinguius ἐν Κατάναις, uterque audacius scriptoris literas deserens. Quamquam vulgatius est dicere Ἀθήνῃσι, tamen illud quoque apud scriptores deterioris aetatis non raro legere memini: exemplis abstineo. Quod autem omnino de legibus antiquiori aetate cantari solitis hodie disceptatur inter VV. DD., hoc abhorret a consilio nostro nunc accuratius persequi: vide, quae de legibus Lycurgi a Terpandro in modorum concentum revocatis contra Nitzschii V. Cl. dubitationes attulit O. Muellerus in censura hist. Hom. in *Gött. gel. Anz.* 1831. p. 293 sqq. cf. Wachsmuth. I, 1, 208. Jacobs. in *Encycl.* t. XVI, p. 178 sq. s. v. Charondas. Hoc ipsum quidem legum Charondae vetustatem comprobat: quod vero Bentlejus p. 361. ex Hermippi loco colligit, eas nisi ante Draconem Athenis cantari non potuisse, vereor, ut recte suspicetur. Thurios autem et ipsos Charondae leges cantasse, haudquaquam credibile est; ii potius, quum legum codicem apud se constituerent, aut in pedestris orationis formam eas mutaverunt, aut jam mutatas acceperunt.

Diodorus XII, 12. legem Charondae tradit, quae nisi inter spurias habenda, laude est dignissima: constituit enim actionem pravae societatis gravesque poenas irrogavit. Eandem legem poeta quidam jambis expressit, qui cap. 14. recitantur [2].

---

debuerunt. Cf. Strab. XII, 818. Ex sententia S. Croixii Mazaceni per chalcidicos Thraciae colonos Charondae leges acceperant atque admiserant in suam civitatem auctore Androdama Rhegino.

2) In Scolio ap. Ath. XV, 695, b.: *Ἀδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλοῖς ὀλίγη χάρις*, legem illam Charondae de prava consuetudine vitanda invenisse sibi visus est Bentlejus p. 361., rescribens *Χăρώνδου* (!) *νόμον κ. τ. λ.* Scolion de Admeto inter nobilissima habetur: vid. ll. ll. in De la Nauze *sur les chansons de l'ancienne Grèce* in Mém. de l'Acad. t. IX, p. 333. coll. Dorr. I, 320. Ac vix ipse Bentlejus serio hunc locum ita emendandum esse censuit.

Denique haec quoque lex Charondae hic commemoranda est, quae omnes civium filios literarum elementa edoceri jussit, magistris ludorum publice constitutis. Diodorus XII, 12. 13. Wachsm. *hellen. Alt.* II, 2, p. 454. Simile quid temporibus illis alias factum esse, non constat: imo scimus, a Solone id omissum esse, qui diligentissime de scholis ludimagistrorum constituit: v. Aeschin. c. Timarch. §. 9 sqq. Itaque de ea lege Charondae multum dubitavit O. Muellerus (in libello, quo Georg. Augustae nostrae sacra saecularia celebranda indicuntur, p. 4.) illamque ut multa alia ab recentioribus sophistis ei afficta esse censuit, qui eam rerum publicarum formam, quae ipsis placeret, Charondae auctoritate commendare studerent. Idem sentit Cl. Boeckh. in *Staatsh.* I. p. 133.: *Dieses Gesetz schmeckt stark nach dem alexandrin. Zeitalter.* Quae de Massiliensium et Gallorum institutis Strabo IV, p. 180. scribit, ad posteriorem aetatem pertinent.

Singularis est Philostrati locus de vit. Apollon. ap. Photium cod. 241, p. 326. Becker., Thurios Indorum ac Lacedaemoniorum more capillos promittere. Dubitationem injicit res mira, mos Spartanus (de quo O. Muell. Dorr. II. p. 270. Wachsm. II, 2. p. 34.), ad Thurios translatus: non potest non vitium illi loco inesse [3]).

Civitatibus magnae Graeciae fere omnibus, quae eadem agri ubertate, coeli lenitate, mercaturae felicitate utebantur, invenimus accidisse ut luxu diffluerent. Ex quibus Sybaritae et Siritae sunt notissimi: de ceteris complura congessit Wachsm. *hell. Alt.* I, 2, 326. cf. O. Muell. Dorr. II, 418. De Thuriis fortasse idem arguat Metagenis fabula *Θουριοπέρσαι*, cui nomen inscriptum esse statuunt a moribus Thuriorum et Persarum ibi comparatis. Schweigh. ad Ath. VI, 269, e. Lobeck. Paralip. p. 78.: *i. q. Thurii περσίζοντες.* Cf. Meinek. quaestt. scen. II, p. 53. Quae vero Th. Bergkius in comm. de comoed. att. ant. reliqu. p. 61 sq. disputat, quibus comprobet, Thurii cum magna frugum ubertate et omni voluptatum copia abundarent, novos colonos mox deliciis et libidinibus diffluxisse, atque Eupolidis fabulam, quae inscri-

---

3) Accedunt duo alii loci, in quibus vitiose Thurios nominari luce clarius est. Alter legitur in Hesychio s. v. *Σαννίς· δρυοσάνδραξ· Θούριοι*, alter in Schol. Aesch. Pers. 659.: *βαλὴν ὁ βασιλεὺς λέγεται. Εὐφορίων δὲ φησὶ Θουρίων εἶναι τὴν διάλεκτον.* Phrygiam esse vocem *βαλήν*, hodie satis convenit inter VV. DD.: v. Hesych. s. v. Sext. Emp. adv. math. p. 286. Eust. ad Od. 19. p. 680. Bas. Plut. de fluv. XII, 16. Pott. *Etym. Forschungen* cett. II, 272. De accentu monuerunt Herodian. *περὶ μον. λέξ.* p. 17. Dind. Arcad. *περὶ τόνων* p. 9. Barker. Itaque in locis illis vel *Φρύγιον* rescribendum est, vel *Σύροι* vel *Τύριοι* cum O. Muellero in Mus. Rhen. III, 37.

bitur Δραπετίδες, ad illam ex tota fere Graecia colluviem pertinere cett., ea veremur ne subtilius quam verius composita sint.

Arte gymnica multum exercitatam esse Thuriorum juventutem, docet Plat. Legg. II, 659, b. ubi ex gymnasiis et syssitiis Mileti et apud Boeotos Thuriosque factiones atque turbas natas esse comperimus. Syssitia si ad Thurios quoque referenda sunt, non necessario ex doricis civitatibus repetuntur, sed ab antiquis temporibus etiam Oenotri Italiae iis utebantur eaque servabant etiam tempore belli Peloponnesiaci in iis locis, ubi libertatem servaverant. Referri ad Antiochum, quae apud Aristotelem exstant verba Pol. VII, 9.: *καὶ νῦν ἔτι*, quum Aristotelis aetate liberae Oenotrorum civitates in Italia vix inveniri possent, jubet Niebuhrius. Ab his fortasse ad Graecas Italiae civitates transierant. Artis gymnicae Thuriis tractatae etiam Damon Thurius specimen edidit, qui Ol. CI et CII stadio vicit Olympiae. Diod. XV, 36. 50. Paus. IV, 27. VI, 5. VII, 25. VIII, 27. Euseb. chron. lib. I, c. 33 in Maji scriptt. vett. nov. coll. t. VIII, 153.

Literarum cultum Thuriis ut statuamus laetissime floruisse, fidem faciunt virorum clarissimorum nomina quos ibi commoratos esse passim adnotavi, quibus addere potui Euthydemum Platonis fratremque Dionysiodorum Chios ex Ath. XI, 506, b. Lysiam Thuriis Tisiae et Niciae disciplina usum esse, cognoscitur ex vitis Lysiae coll. Plat. Phaedr. p. 273. De Tisia Syracusano, rhetore illo celeberrimo, multi scripsere, e. g. Taylorus in vit. Lys. p. 110. De Nicia aliunde non constat: Spengel. ex Tisiae nomine errore eum fictum esse existimat, quod vix quisquam comprobet; cf. Mongitor. bibl. Sic. II, 85. Inter clarissimos Thuriorum deinde Alexis poëta comicus magnum locum obtinet (c. Ol. CXI.), qui fabulas conscripsisse fertur ducentas quadraginta quinque, quarum tituli nominantur CXIII. v. Suid. s. v. Meinek. quaestt. scen. III, p. 27 sqq. Patroclem Thurium poëtam tragicum unus laudavit Clemens Al. I, p. 26. Klotz. Ex philosophis denique Thurinis cognovimus Pythagoreos Perialum (Jambl. XVII, §. 74.) et Hippodamum, ex cujus libro *περὶ εὐδαιμονίας* fragmentum prodit Stobaeus serm. XLIII, 122. De Hippodamo architecto quominus cogitemus (ut Muretus var. lectt. I, 14. XV, 18. all.), jam dialectus dorica prohibet. Ex Euclidis disciplina Clinomachus Thurius fuit, *ὃς πρῶτος περὶ ἀξιωμάτων καὶ κατηγορημάτων καὶ τοιούτων συνέγραψε.* Diog. Laert. II, 11, 3. Erodoctium et Ciromaeum philosophos, quos Ughellus commemorat Ital. sacr. X, 173., quo auctore laudaverit reperire non potui.

Epimetrum.

Commentatione mea jam prelo demandata in duos incidi libellos, qui nuper editi res Thurinas attigerunt, et quos antea me fugisse magnopere doleo. Ex quorum altero, Lorentzii dico disquisitionis de veterum Tarentinorum rebus gestis specimen I, Luccaviae 1838., ea maxime ad me pertinuerunt, quae de Siritarum et Heracleensium rebus disputavit V. D.: quo duce multa, quae de historia eorum sensi, accuratius apud me constitui. Videtur enim imprimis iis, quae de Siritis tradita sunt apud veteres et quae ad hunc usque diem tenebris multis offusa jacebant, lucem haud exiguam attulisse.

Altera est Meieri commentationis V. de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem particula VI, Halis 1838. Quae quum fere tota in rebus Thuriorum versetur, occasione ab Andocidis loco §. 12. petita, hic nonnulla commemorabimus, de quibus quae supra diximus, nunc quoque contra commentationis auctorem tueamur. Neque enim Meiero assentior, in loco Plutarchi Pericl. 11. *ἄλλους δ' εἰς 'Ιταλίαν κ. τ. λ.* *ἄλλους* nihil aliud significare, quam *ἑτέρους τοσούτους*: cui linguae graecae usus prorsus obstat. Deinde corrupta esse Photii verba *οἱ δὲ τῷ Χαλκιδεῖ Διονυσίῳ*, recteque emendata a VV. DD. *τῷ χαλκῷ Δ.* firmiter teneo; Meierus duos Dionysios inter conditores Thuriorum fuisse statuit, alterum cognomine Aeneum, Chalcidensem alterum. Denique de altero quoque Photii loco *ᾤχετο* (Lysias) *ἐφ' ᾧ τοῦ πατρῴου μετασχεῖν κλήρου* etiamnunc mihi verisimilior videtur, quam ego adoptavi sententiam, quam quae Meierus conjecit not. 216.: Athenienses similem quandam atque Corinthios (Thuc. I, 28.) potestatem dedisse, cum Thurios mitterent coloniam; Cephalum igitur cum confectus senio Athenis remanere mallet, numerata pecunia sortem aliquam assignati Thurini agri nactum esse, atque eo mortuo, ut in *hujus sortis* partem venirent, filios eo abisse. Haec fere fuerunt, quae nobis Meieri libellum legentibus statim se obtulerunt; in quibus praeterea V. D. a nobis dissentire observavimus, ea levioris sunt momenti.
